DE SOLOECISMO.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SCRIPSIT

G. SCHEPSS.

DE SOLOECISMO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD GRADUM

DOCTORIS PHILOSOPHIAE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ARGENTORATENSI

RITE CONSEQUENDUM

CONSCRIPSIT

GEORGIUS SCHEPSS.

ARGENTORATI
MDCCCLXXV.

IMPRESSUM ONOLDI TYPIS BRUEGELII ET FILII, MDCCCLXXVI.

De soloecismo logico rhetorico grammatico eiusque ueriloquio commentarium conscripsit Goettling in indice scholarum per hiemem Jenae habendarum anno 1866 isque receptus est in Goettlingii opuscula academica (Lipsiae 1869) p. 281—286. Quo perlecto mihi persuasi de ea re satis multa addi posse, quae aut omnino fugissent Goettlingium aut nimis breuiter ab eo essent explicata. Ac primum quidem cur tres species soloecismi in ipso commentarioli titulo discreuerit uir doctissimus non intellego, cum logicus et rhetoricus et grammaticus quos dicit soloecismi tam arte inter se cohaereant, ut ipse Goettling rhetoricam et grammaticam speciem confuderit. Deinde eorum, quae apud latinos auctores exstant scripta de soloecismo, nusquam ulla mentio fit nisi unius Gellii loci. Quae denique de ueriloquio Goettling profert, ea uix quemquam probaturum esse credo: originem enim putat ducendam esse a *σόλῳ*, quo uocabulo apud Homerum discus ferreus significatur, et ab *εἴκω*, *ἔοικα*. Itaque totam quaestionem denuo aggressus absoluere conabor, quamquam de maiore materiae parte non dissentio a Valckenario, qui in praefatione Ammonio praemissa ubi dissertatiunculas olim de soloecismo conscriptas commemorat p. XI sq.: „Grammatici“ inquit . . „bonos scriptores seuere uituperare non formidant et illa loquendi genera, ad quorum natiuam pulcritudinem et mirificam excellentiam humiles animi non adsurgunt, soloecismos esse insulse clamitant . . Haec grammaticorum consuetudo per se quidem mihi semper uisa fuit ridicula et eam ob rationem castiganda, quod his suis commentis efficiunt, ut elegantioris ingenii homines grammaticorum studium in uniuersum contemnant et irrideant. Hoc temere fit et inconsiderate: nam quae scripsi non usque eo in

grammaticorum contumeliam accipi uelim. Pleraque omnis ueterum rerum cognitio grammaticis continetur". Verum praeter grammaticos soloecismi uocabulum usurpant optimi ueterum scriptorum, quorum uel fusiores uel breuiores sententiae quatenus discedant quoue coniungantur uinculo uix perspici potest nisi retexta tamquam historia soloecismi uocabuli inde a primordiis graecarum litterarum usque ad medium quod uocatur aeuum.

Agemus igitur

I. de uocabuli soloecismi ueriloquio

atque rem ita instituam, ut, priusquam quae mihi uideantur probabilia profitear, quae proposuerint ueteres congeram. Quam inanis uero plerumque in etymis scrutandis cauillatio apud ueteres grassata sit, inter omnes harum rerum peritos satis constat.

Quod uulgo circumfertur soloecismi ueriloquium ducitur ab incolis Solorum oppidi, qui cum Graecam linguam pessime refringerent, ita in prouerbium dicuntur abiisse, ut cum omnia, quae delinquerentur contra Atticismum, tum ea uitia, quae ad syntaxin spectarent, soloecismi nomine notarentur. Hoc ueriloquium primum inueni propositum apud Strabonem geographum, qui cum libros ultimos conscripsit, dudum de ipso soloecismo multum a Graecis accurate disputatum fuit. Legimus autem in Strabonis libro XIV, c. 28 extr.: „*τὸ σολοικίζειν εἴτ' ἀπὸ Σόλων, εἴτ' ἄλλως τοῦ ὀνόματος τούτου πεπλασμένου*". Dubitat igitur, num recte nomen a Solis ducatur. Florebant uero tum temporis fama et diuitiis duo oppida Soli, alterum situm in Cypro, alterum in Cilicia: utrum intellexerit Strabo, cum capite illo de Caria maxime agatur, uix licet eruere. Similiter ac Strabo de Solis nomen deriuat anonymus quidam, qui *περὶ βαρβαρισμοῦ καὶ σολοικισμοῦ* scripsit apud Boissonadium, anecd. gr. III, p. 238: „*εἴρηται δὲ σολοικισμὸς ἤτοι ἀπὸ τῶν εἰς Σόλους μετοικησάντων*".

Inter Strabonem et Diogenem Laertium unum apud ueteres inueni locum, qui ad ueriloquium soloecismi a Solis Cypri

oppido ducendum aliqua probabilitatis specie referri possit; exstat enim in Anthol. Pal. XI, 146 Ammiani[1]) nomine insignitum hoc epigramma:

ἑπτὰ σολοικισμοὺς Φλάκκῳ τῷ ῥήτορι δῶρον
πέμψας ἀντέλαβον πένταχι διακοσίους.
Καὶ „νῦν μὲν“ φησὶν „τούτους ἀριθμῷ σοι ἔπεμψα,
τοῦ λοιποῦ δὲ μέτρῳ πρὸς Κύπρον ἐρχόμενος“.

Flaccus igitur excusat se, quod mille tantum soloecismos miserit, quippe quos numerare liceat; sed si quando in Cyprum uenturus sit (quam patriam eius fuisse suspiceris), tum largius etiam se mensurum et modios integros soloecismis impletos Ammiano donaturum esse promittit[2]). Quam diversa uero ab Attica Cyprii usi sint dialecto aperte nunc constat ex illis inscriptionibus Cypriis, de quibus nuper egerunt Brandis et Mauritius Schmidt et cum Deeckio Siegismund.

Ad Solos Ciliciae oppidum spectat narratiuncula, quam profert Diogenes Laertius I, 51: „*Σόλων ἐκεῖθεν* (i. e. a Croeso) *ἀπαλλαγεὶς ἐγένετο ἐν Κιλικίᾳ καὶ πόλιν ᾤκισεν, ἣν ἀπ' αὐτοῦ Σόλους ἐκάλεσεν. Ὀλίγους δέ τινας τῶν Ἀθηναίων ἐγκατῴκισεν*[3]), *οἳ τῷ χρόνῳ τὴν φωνὴν ἀποξενωθέντες σολοικίζειν ἐλέχθησαν. Καὶ εἰσὶν οἱ μὲν ἔνθεν Σολεῖς, οἱ δ' ἀπὸ Κύπρου Σόλιοι*“. Ducentis fere annis post Diogenem Laertium eandem originationem exhibent:

---

[1]) Ammianum epigrammatistam Nerone fere imperatore scripsisse et Lucillii epigrammatistae aequalem fuisse recte monuit Jacobs in Anthol. Pal. XIII, p. 840 sq. et 912 sq.

[2]) Cf. Anthol. Pal. ed. Duebner II, p. XII et 374.

[3]) Grote, history of Greece (Londini 1869), vol. III, p. 149 huic Diogenis Laertii fabulae fidem non habendam esse iudicat. — Solos in Cypria condidisse Solonem et huius in honorem a Philocypro principe Cypri nouum oppidum esse nominatum auctor est Plutarchus, Sol. vita c. 26, quem sequitur Grote l. l. Cf. quae Meineke in analectis Alexandr. p. 38 sq. ad Euphorionis Chalcidensis fragmentum primum adnotauit. Tacet uero Herodotus V, 113 de Solorum Cyprii oppidi nomine a Solone ducendo, quem, si tum temporis exstitisset talis fabella, non facile ut est amantissimus fabellarum eam silentio praeteriturum fuisse Mannerto VI, 1 p. 436 concedo; neque de soloecismo Herodotus l. l. quidquam commemorat. Cf. etiam Forbigeri geograph. compend. II, p. 281.

1) Marius Plotius Sacerdos[1] (Keil, gramm. lat. VI, p. 449, 20): „. . . (quod) aliquando Σόλοικοι, Cilicienses[2]) cives, Athenas profecti non integre loquentes uitioso sermoni de uocabulo suo nomen dederunt".

2) Diomedes (Keil I, p. 453, 25): „a civitate Ciliciae, quae Soloe olim dicebatur, nunc Pompeiopolis uocatur, cuius incolae, quia sermone corrupto loquebantur, similiter uitiose loquentes apud Athenienses σολοικίζειν dicebantur, unde id uitium soloecismus dictum est".

3) Eosdem Ciliciensis oppidi incolas intellegit Seruius, quem in commentanda Donati arte, cum in hac ipsa nihil de ueriloquio soloecismi inveniret, Sacerdotis librum consuluisse apparet (Keil IV, p. 445): „soloecismus dictus est . . certe ideo, quod σόλοικοι uenientes Athenas et male loquentes nomen ex se uitio dederunt".

4) Pompeius, cui tamen illa, de qua infra amplius dicetur, a σῴου λόγου αἰκισμῷ ducta originatio rectius habere uidetur (Keil V, p. 288): „soloecismus dictus est hac causa: Soloe quidem populi sunt circa Ciliciam; hi uenerunt Athenas dum pessime loquerentur; exinde tractum est ut dicerentur uitia ipsa male loquentium soloecismi, quasi quae sic sonarent, quemadmodum illi male loquebantur, id est quae uitia talia essent qualia illorum".

5) Excerpta ex commentariis ad Donatum, apud Keilium V, p. 328.

6) Isidor., orig. lib. I, 32, 2: „dictus autem soloecismus a ciuibus Cilicibus,[3]) qui ex urbe Soloe, quae nunc Pompeiopolis appellatur, profecti cum apud alios commorantes suam et illorum linguam vitiose inconuenienterque confunderent, soloecismo nomen dederunt. Unde et similiter loquentes soloecismos facere dicuntur".

---

[1]) Sacerdotem post Jubam, ante Diomedem uixisse statuit Keil VI, p. 425.

[2]) Cod. Bobiens.: „soloecoe sicilienses."

[3]) Sic scribendum est cum ed. pr.; Otto apud Lindemannum, corp. gr. lat. III, p. 48 omisit „Cilicibus".

7) Commentum Bernense apud Hagenum, anall. Helvetica p. CXV.

8) Artigraphus Bernensis, ibid. p. CCXXXIV.

9) Etymologicum magnum huc facit, cum post uerba „*Σόλοικοι· οἱ βάρβαροι*" hoc addat: „*ἀπὸ Σόλων τῶν Κιλικίων*".

10) Eustathius ad Dionys. Perieg. p. 875 de Solis Ciliciensi oppido dicit haec: „*Σόλοικοι τὴν εὐγενῆ παρεκόπησαν Ἀττικὴν γλῶτταν καὶ ἐξηγροικίσθησαν δια τὸν ἐν Σόλοις οἰκισμόν*".

11) Phauorinus (ed. Basil. p. 1667): „*Σόλοι ἔθνος ἀφ' ὧν τὸ σολοικίζειν καὶ ὁ σολοικισμός. καὶ Σόλοι ἡ Κυπρικὴ πόλις, οἱ δὲ τῆς Κιλικίας*". „*σολοικίζειν. Κροῖσος μετὰ τὴν Σόλωνος ἐρώτησιν ἐν Κιλικίᾳ γεγονὼς Σόλους ᾤκισεν, ἐν ᾗ καὶ τινας τῶν Ἀθηναίων καθῴκισεν, οἳ χρόνῳ βαρβαρισθέντες ἐλέγοντο σολοικίζειν, ἀφ' οὗ καὶ σολοικισμός*".

Utrumque oppidum Soli commemoratur: 1) Apud Photium (ed. Naber II, p. 168): „*Σόλοι πόλις Κιλικίας ἢ Κύπρου**) *ἀφ' ὧν ὁ σολοικισμὸς βαρβαρίζοντες κατὰ τὴν ἰδίαν γλῶτταν*".

2) Simillima leguntur in *συναγωγῇ λέξεων χρησίμων* apud Bachmannum, anecd. gr. I, p. 367: „*Σόλοι· πόλεις Κιλικίας* [cod. *Σικελίας*] *καὶ Κύπρου, ἀφ' ὧν ὁ σολοικισμὸς, βαρβαρίζοντες τὴν ἰδίαν γλῶσσαν*".

3) Eadem quae apud Photium exstant apud Suidam s. u. *Σόλοι*, qui haec ex Photii lexico decerpsit*).

Non magis quam eae quas modo congessi de Solis narratiunculae placent alia ab iisdem grammaticis proposita ueriloquia. Ad Solonem recurrunt duo scriptores latini: 1) Diomedes (Keil I, p 453): „uel a Solone legum auctore, qui indifferenter locutus est".

2) Ex commentariis ad Donatum excerptor (Keil V, p. 328), qui tamen ueri similius existimat ueriloquium repetendum esse a Solis, quod postquam exhibuit, addit haec: „alii volunt soloecismum dictum a Solone duce Atheniensium, quem

---

*) Qui inest error in cod. Photiano „*Σικελίας καὶ Κύπρου*" pro „*Κιλικίας ἢ Κύπρου*" irrepsisse ex illo uidetur in codicem, quo synagoge continetur necnon in Suidae codices.

peregrinando Atticam linguam dixerunt corrupisse . quod quidem de tantae industriae uiro credi nefas est.“

Originem a „σῴου λόγου αἰκισμός“ ducunt: 1) Marius Plotius Sacerdos (Keil VI, p. 449): „soloecismus dictus est duobus modis uel quod sit τοῦ σῴου λόγου αἰκισμός, id est integrae laesio dictionis, uel quod aliquando Σόλοικοι, Cilicienses cives c. q. s.“

2) Diomedes (Keil I, p. 453): „soloecismus dicitur graece λόγου σῴου[1]) αἰκισμός, id est integri sermonis corruptio.“

3) Choeroboscus in scholiis ad Theodosium, (Bekker, anecd. gr. p. 1271): „σολοικισμὸς λέγεται οἱονεὶ σῴου λόγου αἰκισμός, τοῦτ' ἔστιν ὕβρις τοῦ ὁλοκλήρου λόγου.“ Eiusdem Choerobosci uerba repetuntur in Etym. magno s. u. Σόλοικοι · · „σολοικισμὸς λέγεται, οἷον ὁ τοῦ σῴου λόγου αἰκισμός, ἤγουν ὕβρις τοῦ ὁλοκλήρου λόγου“. Eadem fere quae in Etymol. magno Choerobosci nomine memoriae produntur, exstant in scholio quodam ad Dionysium Thracem conscripto apud Bekkerum, anecd. gr. II, p. 659, 33: „σολοικισμὸς δέ ἐστιν ὁ τοῦ σῴου λό ου αἰκισμός, ἤγουν ὕβρις ὁλοκλήρου λόγου“. Codd. Vatic. 14 et Hamburgensis, ad quos Bekker recensuit scholia in Dionysium Thracem, haec uerba in margine tribuunt Melampodi[2]) (uid. Bekker., anecd. gr. III, p. 1139). Aut ex Choerobosco hanc etymologiam soloecismi Melampus adoptauit aut una cum Mario Plotio et Diomede Choeroboscus et Melampus uel ex Theodosio uel ex Dionysio Thrace hauserunt, quem Theodosius commentatus est.

4) Pompeius (Keil V, p. 288) postquam uulgatam a Solis ductam etymologiam tradidit, pergit sic: „hoc dixerunt; est tamen alia uera ratio. ex re factum est hoc nomen, ex graeca etymologia est. nam etiam hoc ipsum uerbum graecum est,

---

[1]) Sic posuit (non „σώου λόγου αἰκισμός“), si quidem libris scriptis fides habenda est.

[2]) Desunt uerba „σολοικισμὸς δέ ἐστιν ὁ τοῦ — λόγου“ in Villoisoni anecd. gr. II, p. 174, qui simillima scholia in Dionys. Thracem conscripta excussit ex cod. Marciano 489.

soloecismus quasi *σῴου λόγου αἰκισμός*, id est sani uerbi corruptela".

5) Cod. Chisian. Q, IV, 11, quem Romae excussit Studemund[1]): „*σολοικισμός ἐστι λόγος περὶ τὴν σύστασιν τῶν λέξεων ἡμαρτημένος, οἱονεὶ τοῦ σῴου λόγου αἰκισμός*".

6) Anonymus *περὶ σολοικίας* apud Valckenarium (post Ammonium p. 203 extr.): „*Σολοικισμὸς δὲ ὅτι τοῦ σῴου λόγου αἰκία. αἰκίζει γὰρ τὴν ἀκολουθίαν τοῦ λόγου*".

7) Suidas s. u. *Σόλοι*: „*ἢ σολοικισμὸς ὁ τοῦ σόου λόγου αἰκισμός. σόος διὰ τοῦ ο μικροῦ . ἔνθεν καὶ λαοσσόος*".

8) Zonaras (p. 1661 ed Tittm.): „*σολοικισμὸς · ὁ τοῦ σῴου λόγου αἰκισμός*".

9) Eustathius ad Iliad. p. 47: „*ἀπὸ δὲ τοῦ σόος τούτου βοηθεῖται καὶ ὁ τεχνικὸς*[2]) *εἰς τὴν παρ' αὐτῷ ἐτυμολογίαν τοῦ σολοικισμοῦ εἰπὼν σολοικισμὸν εἶναι σοου λόγου αἰκισμόν*". Idem ad Iliad. p. 367 sq.: „*ὁ δὲ σολοικισμὸς ἁμαρτία ἐστὶ περὶ σύνταξιν ἐννοίας σῶον λόγον αἰκίζουσα, ὡς οἱ ἐτυμολογοῦντές φασιν*".

10) Polybius *περὶ βαρβαρισμοῦ καὶ σολοικισμοῦ* (apud Boissonadium, anecd. gr. III, p. 232): „*ἢ κατὰ τὸ ἔτυμον σολοικισμός ἐστι σῴου λόγου αἰκισμός*".

11) Prorsus eadem quae Zonaras exhibet Phauorinus (ed. Basil. p. 1667): „*σολοικισμός· ὁ τοῦ σῴου λόγου αἰκισμός*".

Restat ut post ueriloquia uel a Solis uel a Solone uel a *σῴου λόγου αἰκισμῷ* ducta unum locum commemorem, qui praebet monstrum quoddam etymologicum, quod nusquam alibi inueni. Idem enim grammaticus anonymus, qui satis ingenue „*βαρβαρισμός*" ex „*βαρυανδαισμός*"[3]) ortum esse hariolatur, apud Boissonad. anecd. gr. III, p. 238 postquam tria quae

---

[1]) Cf. anonymorum quos in calce huius opusculi ponam de soloecismo commentariorum primum.

[2]) „*Ὁ τεχνικός*" Choeroboscus saepius appellatur, quem eundem quamuis „*σῴου*" (per o mega scriptum) exhibentem Eustathius uidetur intellexisse. Cf. Schöll, hist. litt. gr. III, p. 172.

[3]) Alius huius generis uir doctus anonymus apud Boisson. III, p. 260 proponit „*βαρυανδησμός*".

modo dixi ueriloquia protulit, haec addit: „ἢ ἀπὸ τοῦ θολισμὸν εἶναι τοῦ λόγου, τουτ᾽ ἔστι σκοτισμόν". *Θολισμός* uocabulum a „*θολός*" (= limus, turbatio) ductum nusquam nisi hic occurrere G. Dindorfius in Stephani thesauro auctor est. — At mittamus iam has nugas grammaticorum.

Omnia de quibus egi ueriloquia tum excogitata sunt, postquam dudum in usu fuerunt uocabula *σόλοικος σολοικίζειν σολοικισμός*. Herodianus grammaticorum Graecorum facile princeps, quem in peruersis aliorum grammaticorum testimoniis enarrandis consulto omisi, recte exhibet (ed. Lentz II, p. 582, 23): „*σολοικία, ἀπὸ τοῦ σόλοικος*" nec tamen de *σόλοικος* uocabulo ipso accuratiora addidit. Itaque ipse quid uires meae ualerent ad originem huius uocabuli indagandam expertus sum.

Descendit igitur mea quidem sententia *σόλοικος* uocabulum de radice „sol", quae inest in glossa Suidae hac „*σόλος, ὄνομα βουνοῦ*[1])" (ed Bernhardy p. 829). *Βουνός* uocabulum, quod ipsum rarius legitur, significat montem uel saxum uel collem. Ex idiomate quod dicimus Indogermanico uocabulum *σόλος* fluxisse nego; neqne enim *σάλος* nec salio nec solum in comparationem apte uidentur uocari posse. Immo *σόλος* nihil aliud esse conicio quam uocabulum Semiticum „sĕla" (= mons, saxum, rupes). Ajin littera, qua „sĕl$\overset{c}{a}$" terminatur, cum obscurius pronuntiari uocalem antecedentem iubeat, „sel$_a^o$" fere fuit; qua obscuratione saepius afficitur etiam quae antecedit in priore syllaba brevis uocalis schĕwa, ut ex sel$_a^o$ fieret sol$_a^o$. Quem de hac re consului Euting uir doctissimus exemplum suppeditauit „bassŏ$\overset{c}{a}$rah (= in tempestate)", quod dictum est pro „bassĕ$\overset{c}{a}$rah."[2]) Graeci in Asia minore habitantes hanc obscuratam „sela" uocabuli radicem adoptauerunt, cui, ut substantinis uere Graecis peregrinum nomen insererent, facillimo negotio $\overline{os}$ apposuerunt, ut fieret *σόλος*; deinde ad similitudinem uocabulorum *ἄγροικος, μόνοικος* finxerunt *σόλ-οικος*, quo significaretur „is qui in montibus habitat, monticola."

---

[1]) Gronouius in cod. Vossiano legit: „*σόλος ὁ βουνός*".

[2]) Reg. II, 2, 1.

Eadem radix „sol" cernitur in Asiaticis uocabulis uelut in Solorum[1]) urbium nomine, quas a peculiari soloecissandi opprobrio defendimus.[2]) In Peloponneso quoque et in Sicilia occurrit „sol" in talium locorum nominibus, quae et edite sita et a Phoenicibus culta esse demonstrari potest: uelut *Σολύγεια*, quem uicum prope Corinthum in colle qui uocatur *Σολύγειος*[3]) situm fuisse scimus: *Σολοῦς* Siciliae urbs a Phoenicibus in colle condita est;[4]) Arcadiae antiquissimum oppidum *Σολογοργός*, postea „Heraia" dictum, in colle situm erat[5]). Accedit *Σολόεις* promontorii Libyci nomen, quod Phoenices adiisse ibique colonos reliquisse veri simillimum est.[6])

---

1) Vid. P. Schroeder, de lingua Punica (Halis 1869), p. 92—95. De montibus prope Solos Cyprias cf. Galen., ed. Kuehn XII, p. 226. Cf. Forbigeri geogr. comp. III, p. 1046. — Commemoranda est h. l. etiam Sole Hyrcaniae urbs (Ammian. 23, 6; Forbig. II, p. 571 not. 17), de qua tamen parum certi accepimus.

2) Alia nomina Asiatica sunt: *Σολμισσός* mons prope Ephesum (Strabo 14, p. 640); *Σολόματις* flumen Indiae (Arrian. Ind. 4, 3; cf. Movers, Phoen. II, 3, p. 18 et Forbigeri geogr. comp. II, p. 486); *Σολόκη* urbs Elymaeorum postea *Σελεύκεια* dicta (Strabo 16, p. 744; *Σελεύκειαι* quinque ciuitates praeter eam, quam modo dixi, apud Strabonem commemorantur); *Σόλυμα* montes Lyciae (Strabo 14, 666; Herodianus ed. Lentz I, 382, 14; cf. Forbiger II, 252); *Σόλυμοι* populus Pisidiae (uid. Forbig. II, 248), ad quorum similitudinem Graeci falso *Ἱεροσόλυμα* et *Σολομῶν* pronuntiabant, cum haec uocabula certo a „salem" ducta sint. In his nominibus radicem sela latere fortasse aliquis suspicetur; h. l. tamen removenda esse censeo, cum non „sla", sed „slm" et „slk" radicem praebere uideantur.

3) *Σολύγεια*, *Σολύγειος λόφος* Thucyd. IV, 42; *Σολύγης λόφος* Polyaen., Strat. I, 39, 1; *Σολόγειος λόφος* Herodian. ed. Lentz I, 136, 28 Cf. Bursian, geogr. Graec. II, 12; 23; E. Curtius, Pelop. II, 518; 548; Mannert, geogr. VIII, 363; Movers, Phoen. II, 3, p. 114.

4) Cf. Mannert IX, 2, p. 401; Holm, Sicil. I, p. 85; Forbiger III, 808.

5) Cf. Bursian, geogr. Graec. II, 255—257; E. Curtius, Pelop. I, 363—365. Sepulcra in saxis incisa inueniri prope Arcadiae uicum quendam ‚Solos' nominatum commemorat Curtius, Pelop. I, 197; quod nomen nusquam alibi inueni.

6) Forbiger II, 867. — *Σελινοῦς* a „sela" fortasse nomen accepit (cf. Holm, Sicil. I, p. 85); attamen propter ambiguam syllabam -*νοῦς* in argumentis meis hoc nomen proferre nolebam. De „*Σόλκοι*" nomine pro-

His expositis redeamus ad uocabulum *σόλοικος*. A Graecis igitur in Asia minore prope oram maritimam habitantibus primum *σόλοικοι* dicebantur incolae uel accolae montium, qui ut domiciliis utebantur in saxis incisis, quorum ingentia rudera hucusque excitant uiatorum stuporem ita moribus prorsus a Graecis differebant; unde euenit, ut mox *σόλοικος* amplam uocabuli „barbarus" significationnm apud Graecos indueret. Adiectiuo „*σόλοικος*" cum deinde omnino „peregrinus, agrestis, rudis, peruersus" significaretur uel quae praeterea in barbaros cadunt notae, paullatim in artius contracta est notio atque usus ille latius patens fere euanuit, ut iam Strabonis aetate ludimagistri, quorum in sollemnibus uocabulis „soloecismus" manserat, circumspicerent quomodo priscum illud uocabulum interpretarentur.

Iam eos congeram locos, quibus *σόλοικος σολοικίζειν σολοικισμός* apud ueteres scriptores inueniuntur necnon composita *ἀσόλοικος* (= mansuetus, urbanus) et *ὑποσόλοικος* (= aliquantum perversi praebens). Primi apud quos „*σόλοικος*" occurrit scriptores ex Asia minore orti sunt, Hipponactem dico et Anacreontem et Herodotum.

Hipponactis, quem constat libentissime uti uerbis agrestibus ac semibarbaris, hoc par choliamborum exstat, apud Bergkium,[2]) p. lyr.[3] p. 765:

---

montorii Sardiniae eadem ratio ualet, qua supra *Σολόκη* et *Σελεύκεια* seiunxi ab iis nominibus, quae certo ad radicem sla recurrunt. *Σόλιον* (Thucyd. II, 30) num in monte situm fuerit nescimus.

[1]) Huc pertinent hi loci: a) in anonymo tractatu, quem Valcken. post Ammonium edidit p. 192 sq.: „*λέγεται δὲ σολοικισμός, ἐπεὶ σόλοικον καὶ βάρβαρον τὴν προφορὰν ἔχει. σολοίκους δὲ ἔλεγον οἱ παλαιοὶ τοὺς βαρβάρους*". b) in alio tractatu anonymo apud eundem Valcken. p. 204: „*ἢ ὅτι οἱ παλαιοὶ σολοίκους ἐκάλουν τοὺς βαρβάρους*". c) Etym. magn. „*Σόλοικοι, οἱ βάρβαροι*". d) Eustathius ad Iliad. II, u. 867.

[2]) Hoc Hipponactis fragmentum in anonymo tractatu apud Valcken. post Ammon. p. 193 traditur; uerba *Φρύγας — ἀλφιτεύσοντας* desunt in alio eiusdem tractatus apographo, quod excussit Studemund ex cod. Chisiano Q, 11, 4. Desunt eadem in alio tractatu anonymo apud Valcken. p. 204, sed leuiter mutata exstant in cod. Marciano, quo Villoison (anecd. gr. II, p. 177) usus est in eodem tractatu recensendo. Respiciunt anonymos hos

„Καὶ τοὺς σολοίκους, ἢν λάβωσι, περνᾶσιν
Φρύγας μὲν ἐς Μίλητον ἀλφιτεύσοντας"

Anacreontis superest uersus, qui tetrameter trochaicus acatalectus olim fuisse uidetur, apud Bergkium,[1]) p. lyr. [3] p. 1030:
„Κοίμισον δ' ὦ Ζεῦ σόλοικον φθόγγον — ⏒ — ⏑ — ⏒".
Nescio an Anacreon iubeat molliri sonum tibiae Phrygiae[2]).

Herodotus IV, c. 117: „φωνῇ δὲ οἱ Σαυρομάται νομίζουσι Σκυθικῇ σολοικίζοντες αὐτῇ ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου ἐπεὶ οὐ χρηστῶς ἐξέμαθον αὐτὴν αἱ Ἀμαζόνες". Notandum hoc loco quod additur „φωνῇ", ex quo liquet tum temporis uocabulum σολοικίζειν nondum absolute usurpatum esse de sermonis vitiis.

Sophocles in Troilo usurpauit ἀσόλοικον, de qua re uidendus est Hesychius, qui s. u. ἀσόλοικον[3]) exhibet: „ἥμερον (= mansuetum), προσηνές (= come), οὐ βάρβαρον. Σοφοκλῆς Τρωΐλῳ[4])".

Hippocrates (ed. Kuehn III, p. 92 = ed. Foesius p. 763 A) tratidit in curandis fracturis, si in suam quaeque sedem compelli possent nulla amplius adhibita ui quam extensione, quae medici eiusque ministrorum manibus fieret, peruersum esse machinas admouere: „καὶ γὰρ σολοικότερον μηχανοποιεῖν μηδὲν δέον".

Xenophon, Cyrop. 8, 3, 21: „Δαιφέρνης δέ τις ἦν σολοικότερος ἄνθρωπος τῷ τρόπῳ, ὃς ᾤετο, εἰ μὴ ταχὺ ὑπακούοι, ἐλευθεριώτερος ἂν φαίνεσθαι".

Quae iam sequuntur confiteor partim per metaphoram dicta esse, id est de grammatico soloecismo, de quo multum agebatur, ad aliquod naturae uel morum uitium translata; aliis

---

auctores et Eustathius ad Iliad. p. 368 et Polybius apud Boissonad., anecd. gr. III, 231 sq.

[1]) Proditur Anacreontis uersus ab iisdem qui Hippocratis fragmentum exhibent; sed deest apud Valck. p. 204. Cum Valckenario recte uidetur Bergkius edidisse σόλοικον φθόγγον; Villoison in duobus codd. σόλοικον λόγον inuenit.

[2]) Cf. quae Athenaeus IV, 79 de tibiis Elymaeis seu Phrygiis memoriae prodit.

[3]) ἀσόλοικον emendauit Musurus, ἀσόλυκον codex Hesychii.

[4]) Cf. G. Dindorf, poet scaen., apospasm. Soph. 555.

deinde locis cum soloecismus uel obiter tantum tangatur, uel neglegatur omnino barbarismi et soloecismi discrimen a grammaticis constitutum, hos locos omnes, ne postea, ubi grammaticum soloecismum perlustrabimus, in ordinem saepius incurrant, hic proferre consentaneum uidetur.

Eubuli comici in Amalthea erat hic uersus (uid. Meineke, fragm. com. gr. III, p. 205):

„κρέας βόειον ἑφθὸν ἀσόλοικον μέγα." [1])

Dubitaueris utrum h. l. ἀσόλοικον id significet, quod sit alienum a barbara natura (= uituperatione carens), an nimis artificioso apparatui opponatur et significet quod ab arte abhorreat, qua re Eubulus facile nimiam sophistarum subtilitatem eorumque fraudulentum apparatum, in quo soloecismum non parui momenti fuisse uidebimus, carpere potuit. Equidem simpliciorem quam priore loco posui interpretationem praeferam.

Demosthenes, contra Steph. I, 30, p. 1110 extr.: „Ὑμεῖς δ' ἴσως αὐτὸν ὑπειλήφατε, ὅτι σολοικίζει τῇ φωνῇ,[2]) βάρβαρον καὶ εὐκαταφρόνητον εἶναι".

Aristoteles, rhet. II, c. 16: „τρυφεροὶ καὶ σαλάκωνες· τρυφεροὶ μὲν διὰ τὴν τρυφὴν καὶ τὴν ἔνδειξιν τῆς εὐδαιμονίας· σαλάκωνες δὲ καὶ σόλοικοι διὰ τὸ πάντας εἰωθέναι διατρίβειν περὶ τὸ ἐρώμενον καὶ θαυμαζόμενον ὑπ' αὐτῶν, καὶ τὸ οἴεσθαι ζηλοῦν τοὺς ἄλλους ἃ καὶ αὐτοί".

Zeno Citiensis ap. Diogenem Laertium VII, 18: „ἔφασκε δὲ· τοὺς μὲν τῶν ἀσολοίκων λόγους[3]) καὶ ἀπηρτισμένους ὁμοίους εἶναι τῷ ἀργυρίῳ τῷ Ἀλεξανδρινῷ. εὐοφθάλμους μὲν καὶ περιγεγραμμένους καθὰ καὶ τὸ νόμισμα, οὐδὲν δὲ διὰ ταῦτα βελτίους. τοὺς δὲ τοὐναντίον ἀφωμοίου τοῖς Ἀττικοῖς τετραδράχ-

---

[1]) Hercules, quem h. l. loquentem facit Eubulus commendat in uersibus antecedentibus, quam ipsum adhibere se praedicat, modestam uiuendi rationem; attamen *ἑφθὸν κρέας* et *ὀπτὰ δελφάκια* in uersu proximo poeta comicus eo uidetur consilio protulisse, ut demonstraret Herculem reuera subtilissimi palati hominem fuisse.

[2]) Vid. quae post Herodoti locum supra dixi.

[3]) Scribendum esse opinor: *τοὺς μὲν ἀσολοίκους τῶν λόγων.*

μοις, εἰκῆ μὲν κεκομμένοις καὶ σολοίκως (rudi modo, deformiter), *καθέλκειν μέντοι πολλάκις τὰς κεκαλλιγραφημένας λέξεις*". Duae significationes et amplior illa de quauis barbarie dicta et artior altera grammatice adhibita hoc loco apparent. Alterum Zenonis locum seruauit Zonaras[1]) ed. Tittm. p. 1662: „*σολοικίζειν οὐ μόνον τὸ κατὰ φωνὴν καὶ λόγον χωρικεύεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ἐνδυμάτων, ὅταν τις χωρικῶς ἐνδιδύσκηται ἢ ἀτάκτως ἐσθίῃ ἢ ἀκόσμως περιπατῇ* (*ὥς φησι Ζήνων*)"[2]).

Cicero epist. ad Att. II, 10: „Ludos Antii spectare non placet. Est enim *ὑποσόλοικον*, cum uelim uitare omnium deliciarum suspicionem, repente *ἀναφαίνεσθαι* non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem". Idem ad Att. XIV, 21: „Nihil enim tam *σόλοικον ἢ τυραννοκτόνους* in caelo esse . . . . quin etiam hoc ipso tempore multa *ὑποσόλοικα*".

Plutarchus *περὶ πολυπραγμοσύνης* p. 520 A: „*οὐ στίχων οὐδὲ ποιημάτων, ἀλλὰ βίων ἀστοχήματα καὶ πλημμελήματα καὶ σολοικισμούς*". Idem, polit. praec. p. 817 A: „*ὥσπερ ἔνιοι τῶν ἀπειροκάλων καὶ σολοίκων*". Idem, *περὶ δυσωπίας* p. 534 F: „*ἐὰν ἐκεῖνος σολοικίσῃ προοιμιαζόμενος ἢ βαρβαρίσῃ διηγούμενος.*" Idem, Symp. quaest. 1, 2 p. 615 D: „*ἐσθῆτι περιττῇ καὶ ἀκολουθίᾳ παίδων ὑποσολοικότερος*". Idem, Dion Syrac. c. 17: „*οὐδὲν ἐν τῇ διαίτῃ σόλοικον ἐνδεικνύμενος.*" Idem, Cleomen. c. 13: „*ἐπαιδαγώγει γὰρ αὐτοὺς ὁμιλίᾳ τὸν τόπον, τὰ μὲν ἐρωτῶν, τὰ δὲ διηγούμενος, οὔτε τὴν σπουδὴν ἀηδῆ τῶν λόγων, τήν τε παιδιὰν ἐπίχαριν καὶ ἀσόλοικον ἐχόντων*".

Quintilianus, inst. orat. I, 5, 36 sq.: „In gestu etiam nonnulli putant idem uitium inesse, cum aliud uoce aliud nutu uel manu demonstratur. Huic opinioni neque omnino accedo neque plane dissentio".

Martialis XI, 19: „saepe soloecismum mentula nostra facit".

---

[1]) Zonaram, qui h. l. ad nomen Zenonis certiorem notionem non adiecit, Citiensem clarissimum stoicae scholae conditorem intellexisse suspicor; grammatici Zenonis ubi Zonaras alibi (p. 1370 s. u. *μορία*) mentionem facit, addit ethnicon „*Μύνδιος.*"

[2]) Conferri hic potest Ludouici Cresollii liber, qui inscribitur „uacationes auctumnales" (Paris. 1620), p. (347) 348.

Galenus in commentario *περὶ τῆς τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων* (ed. Kuehn XIX, p. 61): „*Ἄμεινόν ἐστι τῇ φωνῇ μᾶλλον ἢ τῷ βίῳ σολοικίζειν τε καὶ βαρβαρίζειν*“[1]).

Lucianus in Nigrino c. 31 sq. uituperat *σολοικισμὸν τῶν ἡδονῶν*: inuehitur enim hoc loco Nigrinus in „*τοὺς τὸ πολυτελὲς ὄψον ὠνουμένους καὶ τὸν οἶνον ἐν τοῖς συμποσίοις μετὰ κρόκων τε καὶ ἀρωμάτων ἐκχέοντας, τοὺς χειμῶνος ἐμπιπλαμένους ῥόδων καὶ τοὺς τὰ μύρα πίνοντας κ. τ. λ.*“ Idem Lucianus de saltat. c. 80: „*σολοικίας δεινὰς ἐν τῇ ὀρχήσει ὑπ' ἀμαθίας ἐπιδείκνυνται οἱ ἄλογα κινούμενοι καὶ μηδὲν, ὥς φασι, πρὸς τὴν χορδήν*“.[2])

Flavius Philostratus de inepto histrione a Polemone sophista uituperato haec habet in soph. I, p. 542: „*οὗτος τῇ χειρὶ ἐσολοίκισεν*“.

Hieronymus adu. Heluid. 16 (ed. Vallarsi, tom. II, p. 224): „apud Christianos (enim) soloecismus est magnus et uitium turpe quid uel narrare uel facere“.

Hesychius: „*σολοικίζειν. βαρβαρίζειν.*
σολοικισμός. ὅτε τις ἀτέχνως διαλέγεται.
σόλοικον. τὸ ἀμαθές.
σόλοικος. ἐπισεσυρμένος (i. e. uagus), *ἀδιάφορος*“.

„*Ἀδιάφορος*“ uocabulum Hesychius interpretatur „*ἀδιάκριτος*“. Quae Hesych. s. u. *ἀσόλοικον* profert uid. supra p. 11 sub Sophoclis nomine.

Suidas (ed. Bernhardy I, p. 798):

„*ἀσολοίκως. τὸ ἀφελῶς.*“

Ἀφελής commentatur Suidas (I, p. 891) s. u. *ἀφέλεια: καὶ ἀφελὴς ἐπὶ τοῦ ὑγιὴς καὶ ὁλόκληρος ἢ μέγας καὶ ἀνεπικώλυτος.*

In *συναγωγῇ λέξεων χρησίμων* apud Bekker. anecd. gr. I, 452, 33 (= Bachmann, anecd. gr. I, p. 152, 24) exstat *ἀσόλοικος* aduerbialiter elatum sicut apud Suidam:

„*ἀσολοίκως. τὸ ἀφελῶς.*“

Ibid. Bekk. I. 469, 31 (= Bachm. I, 170, 19): *ἀφελές. τὸ ὑγιὲς καὶ ὁλόκληρον* (a barbarie alienum) *ἢ καὶ τὸ ἁπλοῦν καὶ*

---

[1]) et [2]) De aliis quibusdam et Galeni et Luciani locis infra amplius dicetur.

ἀκατασκεύαστον (= a sophistica arte alienum). Videas quae supra ad Eubuli fragmentum adnotaui, quod idem fortasse respiciunt Suidas et qui *συναγωγὴν λέξεων χρησίμων* composuit

Zonaras (p. 1662 ed. Tittm.): „*σολοίκια . τὰ ἐνδύματα.*" Cum Tittmanno scribendum esse puto „*σόλοικα.*" Vid. quam supra p. 12 sub Zenonis nomine protuli Zonarae glossam.

Zonarae uerba repetiuit Phauorinus (ed. Basil., p. 1667): „*σολοίκια . τὰ ἐνδύματα.*"

II. De soloecismi grammatici ui et natura.

In re grammatica sollemniter soloecismi uocabulo primus[1]) uidetur usus esse Protagoras et post eum omnes sophistae. Protagoram librum de orthoepia condidisse Plato in Phaedro et Cratylo auctor est[2]); alterum eiusdem Protagorae librum, qui *τέχνη ἐριστικῶν* inscriptus erat, commemorat Diog. Laert. IX, 55 inter ea Protagorae opera, quae effugerint rogum quo Athenienses illius philosophi scripta combusserunt. In utroque libro Protagoram de soloecismo egisse colligo ex Aristotelis sophisticis elenchis.[3]) In orthoepia enim uidetur docuisse quaenam essent recta, quae falsa in loquendi uulgari consuetudine; uelut falsum i. e. soloecismum esse dixit, si quis feminino genere pronuntiaret *ἡ μῆνις, ἡ πήληξ*, cum dicendum esset *ὁ μῆνις, ὁ πήληξ*. In arte eristica[4]) Protagoram inter artes, quibus eos qui secum colloquerentur decipere et circumuenire sophistae solebant, protulisse opinor quarto loco *τὸ σολοικίζειν ποιεῖν*; respondentem enim fraudulenta quaerendi ratione con-

---

[1]) Pseudo-Anacharsidis quaedam epistola infra exhibebitur inter anonyma quae exstant de soloecismo commentariola.

[2]) Vid. Spengel, artium synag. p. 40—46.

[3]) Aristoteles, soph. el. XIV, ed. Bekk. p. 173b.

[4]) Cf. Diog. Laert. IX, 52: *καὶ τὴν διάνοιαν ἀφεὶς πρὸς τοὔνομα διελέχθη καὶ τὸ νῦν ἐπιπολάζον γένος τῶν ἐριστικῶν ἐγέννησεν.*

fusum ac perplexum fieri[1]) eoque adduci uolebat, ut barbarismos uel soloecismos faceret[2]), quae quidem uocabula tum temporis prorsus eandem rem significabant. Tamquam alterum Protagoram, cuius de orthoepia doctrinae se adstrinxisse uideretur, fingi Socratem in Aristophanis nubibus u. 658 sqq. recte monuit Goettling opusc. p. 283[3]).

Sophistarum artificia quam uana essent Aristoteles in sophisticis elenchis illustrauit, quos libros uidetur eo consilio[4]) composuisse, ut discipulis suis perspiciendi has insidias refellendique facultatem praeberet. De soloecismo fusius agit Aristoteles soph. elench. III, XIV et XXXII. Conferri possunt in examinandis his capitibus et paraphrasis incerti auctoris, quam L. Spengelius edidit Monachii 1842, et scholia, quorum auctor Michael Ephesius in quibusdam codicibus nominatur[5]); attamen neutrum parergon nos iuuat. In capite III (p. 161[a] ed. Bekk.) exstant haec: „*Πρῶτον δὲ ληπτέον πόσων στοχάζονται οἱ ἐν τοῖς λόγοις ἀγωνιζόμενοι καὶ διαφιλονεικοῦντες. Ἔστι δέ πέντε ταῦτα τὸν ἀριθμὸν, ἔλεγχος καὶ ψεῦδος καὶ παράδοξον καὶ σολοικισμὸς καὶ πέμπτον τὸ ποιῆσαι ἀδολεσχῆσαι τὸν προσδιαλεγόμενον .... τέταρτον σολοικίζειν ποιεῖν· τοῦτο δέ ἐστι τὸ ποιῆσαι τῇ λέξει βαρβαρίζειν ἐκ τοῦ λόγου τὸν ἀποκρινόμενον*“. In cap. XIV (p. 173[b] ed. Bekk.) et XXXII (p. 182[b] Bekk.) de soloecismo Aristoteles sic pergit: „potest fieri, inquit, ut secundum rationis quidem leges recte aliquid enunties, sed multitudini male loqui uidearis; uice uersa potest aliquis uideri totus lingua urbana imbutus esse, sed re uera soloecismos committit“ . . . sequuntur Protagorae quae supra

---

[1]) Cf. Plat. Euthyd. 284 D, 297 A, 298 B, 300 D, 303 E, 305 B sqq.

[2]) Non pertinet huc Quintiliani locus I, 5, 36 ubi de soloecismis agitur, qui in responsis fiunt; nam Quintil. de simplici uitio respondentis uerba facit, cum ille qui interrogat nullo dolo utitur; sophistae contra ita instituebant quaestiones, ut respondentes facillime laberentur.

[3]) Cf. etiam Grasbergeri librum, qui inscribitur „Erziehung und Unterricht im kl. Alterth.“ II, pag. 189. 313.

[4]) Vid. soph. elench. c. I et II.

[5]) Cf. Brandis, de organ. graec. comment. p. 298.

exhibui placita . . . „Itaque etiam arte et dolo effici potest, ut sermones, in quibus re uera non latet soloecismus, hoc uitio laborare uideantur. Sophistae libentissime in interrogando usurpant „hoc“ articulum, quod ii qui respondent ita accipiunt ac si dictum fuerit aut „hic uel hunc“ aut „haec uel hanc“. Modos uerbi sophistis in hac re ad partes uocandos fuisse apparet. Aristoteles inter alia exempla, in quibus eadem cauillatio inest, proponit haec: 1) nonne quod dicis uere, etiam est hoc reuera? ais autem aliquid lapidem esse; est igitur lapidem. 2) haecine est id, quod dicis hanc esse? ais autem esse parmam; est igitur haec parmam. 3) nonne nouisti hoc? hoc est autem lapis; nouisti igitur lapis“.

His artibus ii tantum capi possunt, qui syllogisticae disciplinae usu omnino carent; qui enim laqueos illos enodare uolunt, facile comprobabunt se recte cogitasse, cum responsum plenum reddunt adicientes „hic est“ uel „hanc esse dico“, neque dubitabunt utri sententiarum a sophistis propositarum mos gerendus sit; nam ut mittam primum et tertium exemplum, in quibus similis est fraus, in quaestione „haecine est id, quod dicis hanc esse?“ non respondendum est ad „hanc“, sed ad „haec“ ideoque „parma“ recte habet.

Aristoteles refutatis sophistarum argutiis l. l. non addit, quinam errores uere sint appellandi soloecismi. Aliis autem nonnullis locis, ubi de pura dictione disserit, uitium barbarismi et soloecismi commemorat: Rhet. III, c. V p. 1407[a] et [b] Bekk.: „*ἔτι δὲ ποιεῖ σολοικίζειν τὸ μὴ ἀποδιδόναι, ἐὰν μὴ ἐπιζευγνύῃς ἀμφοῖν ὃ ἁρμόττει. οἷον ἢ ψόφον ἢ χρῶμα τὸ μὲν ‚ἰδών‘ οὐ κοινόν, τὸ δ’ ‚αἰσθόμενος‘ κοινόν*.“ Reprehenditur igitur hoc exemplo, quod uidendi uerbum male coniungitur cum utraque et coloris et strepitus significatione; recte se haberet h. l. uerbum sentiendi. In eodem *περὶ ῥητορικῆς* libro statuitur *ἀρετὴ λέξεως*, c. II p. 1404[b] Bekk., quo cum loco concinunt quae idem Arist. in arte poetica tradit cap. XXII, p. 1458[a] Bekk. (= ed. Vahlen p. 39), ubi modicus glossarum usus ad ornandum sermonem commendatur; „sed cauendum est, ne quis hac ratione glossas proferendi in quacumque sententia pronuntianda

ad taedium usque utatur, quod qui fecerit, barbarae dictionis recte arguetur".

Apud Aristotelem *σολοικίζειν* idem esse ac *βαρβαρίζειν* docemur non solum locis, quos supra posui (soph. el. III et rhet. II, c. V) sed etiam capite II. libri de memoria conscripti: „*καὶ ὅταν δέῃ ὄνομα μνημονεῦσαι παρόμοιον μέν, εἰς δ' ἐκεῖνο σολοικίζομεν*". Eiusmodi uitium secundum posteriores grammaticos barbarismus dicendum esset. Eodem referendus est Aristotelis[1]) locus adhuc neglectus, qui legitur in edit. Didotiana IV, p. 331, lin. 22 sqq. inter *προβλήματα ἀνέκδοτα*: „*Διὰ τί οἱ Θρᾷκες σολοικίζουσιν ἀπογηράσκοντες; — Ἢ διὰ τὸ τὰ μὲν κατὰ φύσιν ἅπαντα ῥᾴδιον εἶναι ποιεῖν, τὰ δὲ παρὰ φύσιν χαλεπόν . . . ἡ μὲν οὖν οἰκεία διάλεκτος ὥσπερ φύσει αὐτοῖς γίνεται · ἡ δ' ὑστέρα παρὰ φύσιν . διὸ καὶ καταφέρονται εἰς τὴν πρώτην διάλεκτον γηράσκοντές τε καὶ οἰνούμενοι*". Thraces igitur qui cum Graecis conuenerunt uel commercantes uel seruorum sorte[2]) locati puram graecae linguae dictionem studebant ediscere; sed ubi senes facti sunt et pigritia uitam degerunt, ad natiuam redibant barbaram dialectum.

Theophrastus qui temporis ordine Aristoteli proximus est, librum *περὶ σολοικισμῶν* scripsit[3]), in quo utrum sophisticas quas modo ab Aristotele illustratas uidimus artes tractauerit an similiter ac Lesbonax[4]), qui in libro ‚*περὶ σχημάτων*' de singularum dialectorum uitiis egit, de delictis contra *κοινὴν* commissis disseruerit discerni non potest. Ei quam posteriore loco de Theophrasti libri argumento protuli coniecturam, nescio an faueant Ciceronis et Quintiliani loci, qui fortasse ex ipsius

---

[1]) Horum problematum auctorem Aristotelem esse, non Alexandrum Aphrodisienem existimat Bussemaker in edit. Aristot. Didotiana IV, praef. p. XIX.

[2]) Qua de re cf. C. J. A. I, 277, ex qua inscriptione apparet seruos Thraces in maximo pretio fuisse. Vid. etiam quae Androtion dicit apud Aelian. uar. hist. VIII, 6.

[3]) Vid. Diog. Laert. V, 48. Cf. Theophrasti fragmentum LXI ed. Wimmer.

[4]) Vid. Lesbon. ap. Valckenarium post Ammonium p. 177 sqq.

Theophrasti libro *περὶ σολοικισμῶν* deprompti sunt; Cicero enim in Bruto (46, 172) haec habet: „(ut) ego iam non mirer illud Theophrasto accidisse, quod dicitur cum percontaretur ex anicula quadam quanti aliquid uenderet et respondisset illa atque addidisset „hospes, non pote minoris": tulisse eum moleste se non effugere hospitis speciem, cum aetatem ageret Athenis optimeque loqueretur"; Quintilianus VIII, 1, 2 antequam Titi Liuii Patauinitatem ab Asinio Pollione uituperatam commemorat, exhibet haec: „multos . . quibus loquendi ratio non desit inuenias, quos curiose potius loqui dixeris quam Latine, quomodo et illa Attica anus Theophrastum, hominem alioqui disertissimum, adnotata unius adfectatione uerbi hospitem dixit nec alio se id deprendisse interrogata respondit quam quod nimium Attice loqueretur". Theophrasto Lesbio ex patria Ereso Athenas profecto, cum nimis anxie sermoni Attico studeret, facile euenire id potuit; quam rem postea, ubi de Graecarum dialectorum proprietatibus egit, de se ipso in exemplis eum protulisse suspicari ausim.

Hegesias apud Dionysium Halicarn. V, p. 126, 4 de inepta supplicantis cuiusdam ratione *„βάρβαρον δ' ἐβόα,* inquit, *δεσπότην καὶ ἱκετεύων . γελᾶν δὲ ὁ σολοικισμὸς ἐποίει".* Pro *„δέσποτα"* ab illo supplici *„δεσπότην"* dictum est; tale uero uitium posteriores grammatici, cum in uno uerbo factum esset, non soloecismum, sed barbarismum uocarent.

Aristoxenos apud Athenaeum I, 19 F commemorat Oenonae[1]) citharoedi Itali ludicrum quoddam, in quo *„Κύκλωπα εἰσήγαγε τερετίζοντα καὶ ναυαγὸν Ὀδυσσέα σολοικίζοντα[2])".*

Obseruato temporis ordine nunc dicendum est de Stoicis. Quam sectam qui condidit Zeno Citiensis de soloecismo uerba fecit duobus locis, quos p. 12 sq. exhibui inter ea testimonia, quibus affirmaretur non solum de uitiis sermonis uocabulum soloecismi usurpari. Cum illo, quod Zeno apud Diogenem Laert.

---

[1]) Nusquam praeterea apud ueteres huius hominis mentionem fieri Stephani thesaurus docet.

[2]) Cf. Graefenhan, hist. philol. p. 182 sqq.

VII, 18 pronuntiauit in sermonibus simplicium hominum saepe meliora latere quam in politis uerbis eorum, qui quamquam omnes soloecismos uitarent uanissima proferrent, Chrysippus uidetur consentire, quem Plutarchus in repugnantiis Stoicis p. 1047 B (= p. 1280 Didot) haec praecepisse refert: „οὐ μόνον ταῦτα (i. e. uocalium collisiones) παρετέον, ἀλλὰ καὶ ἐλλείψεις καὶ νὴ Δία σολοικισμούς, ἐφ' οἷς ἄλλοι ἂν αἰσχυνθείησαν οὐκ ὀλίγοι". Plutarchus cum uituperet hanc sententiam, eundem Chrysippum in rhetorica arte dixisse tradit summam subtilitatem et manuum orisque conformationem appeti oportere. Omnium autem Stoicorum non ita multum interfuisse constat, ut quam seuerissime sermonis elegantiam seruarent. De qua re aliud etiam placitum exstat, ex quo liquet Chrysippum in notandis soloecismis ualde neglegentem fuisse. Qui enim scholion in Iliad. A, 129 composuit, haec exhibet: „Ζωΐλος δὲ ὁ Ἀμφιπολίτης καὶ Χρύσιππος ὁ Στωικὸς σολοικίζειν οἴονται τὸν ποιητὴν ἀντὶ ἑνικοῦ πληθυντικῷ χρησάμενον ῥήματι · τὸ γὰρ ‚δῶσι' πληθυντικόν". Affirmat porro Zonaras p. 491 eundem Chrysippum in Iliad. A, 152 ‚δεῦρο'[1]) commentatum esse ‚hic'. Diogenes Laertius VII, 192, 195 Chrysippum de soloecismo duobus libris egisse tradit, quorum alteri inscripsit ‚περὶ σολοικισμῶν', alteri ‚περὶ σολοικιζόντων λόγων'. In illo uel poeticos rhetoricosue locos, in quibus uitia inesse putaret, uel errores omnino, qui tum in communi sermone obtinebant, perlustrasse uidetur, in hoc sophisticos illos soloecismos arte effectos. In alio libro, cui inscripsit ‚λόγοι παρὰ τὰς συνηθείας' (cf. Diog. Laert. in eadem § 192 libri VII) idem materiam admodum similem tractasse uidetur necnon in libro: ‚περὶ τῶν κατὰ ψευδῆ σχήματα σολοικισμῶν[2])'.

---

[1]) Vid. Wachsmuth, de Cratete Mallota p. 18, not. 2.

[2]) Henr. Stephanus (Paris 1570) legit: 1) περὶ σολοικισμῶν 2) περὶ σολοικιζόντων λόγων πρὸς Διονύσιον α΄; qui duo libri etiam in latina Diogenis uersione, quam recepit Stephanus in editionem suam, ab Ambrosio (Venet. 1475 ed. altera) confecta commemorati sunt; Menagius (Londini 1664) nimiam tribuens auctoritatem Gelli illi loco V, 20, de quo infra amplius dicetur, pro περὶ σολοικισμῶν, quam quidem lectionem in

Zoilus in Iliad. A, 129 soloecismum inesse putauit, id quod supra uidimus. Zoilum, quem propter iudicii quo utebatur acerbitatem Ὁμηρομάστιγα cognominatum esse constat, eas figuras poeticas, quae ab aliis σχήματα appellabantur, soloecismos appellasse eosque in libris contra Homerum scriptis*) protulisse opinor. Schematis autem uocabulum ita definiuit, ut discederet a reliquis uiris doctis: „σχῆμά ἐστι ἕτερον μὲν προςποιεῖσθαι, ἕτερον δὲ λέγειν", quam Zoili definitionem

---

mss. quibusdam inueniri testatur, legi posse coniecit περὶ τῶν σολοίκων λόγων; Menagium ita secutus est Huebnerus (Lips. 1831), ut uerbis ‚περὶ σολοικισμῶν' uel ‚περὶ τῶν σολοίκων λόγων' omissis unum tantum librum nominaret περὶ σολοικιζόντων λόγων πρὸς Διονύσιον α΄. Cobet quoque in editione Didatiana deleuit illud ‚περὶ σολοικισμῶν'. Sed mihi quidem hac in re codices illi Menagii recte habere uidentur, quibus et ‚περὶ σολοικισμῶν' scribitur et ‚περὶ σολοικιζόντων λόγων . κ. τ. λ.'. Facile Chrysippum de materia in uulgaribus disputationibus tam ualenti pluribus egisse scriptis crediderim. Qui ed. Tauchn. curauit ad uerba ‚περὶ σολοικισμῶν' adiecit numerum α΄, haud scio an recte. Nicolai qui 1859 in programmate Quedlinburgensi disseruit de Chrysippi logicis, haec congerit p. 32:

σύνταξις ζ΄.

1) περὶ τῶν σολοικιζόντων λόγων πρὸς Διονύσιον α΄.

2) περὶ σολοικισμῶν καὶ περὶ σολοικιζόντων λόγων.

3) λόγοι παρὰ τὰς συνηθείας α΄.

In § 195 Cobet recte exhibet: περὶ τῶν κατὰ ψευδῆ σχήματα σολοικισμῶν (alii, in quibus Huebnerus: συλλογισμῶν), quippe cum agi uideatur de soloecismis in poematis perperam adhibitis, de quibus uid. Quintil. I, 5, 52. In eadem § 155 recte ut mihi uidetur Cobet et Huebner et Nicolai (p. 37) ita legunt: περὶ τῶν εἰς τοὺς συλλογισμοὺς θεωρημάτων α΄ (Tauchn. ‚σολοικισμούς'). In § 198 commemorantur qui de pura dictione egisse uidentur libri VI κατὰ τῆς συνηθείας et libri VII περὶ (Cobet: ὑπὲρ) τῆς συνηθείας. Illos quos huc refert Goettling opusc.' p. 284 ex Varronis de ling. lat. libro IX, 1 περὶ ἀνωμαλίας libros (quattuor, non sex: conf. L. Spengel ‚comment. de emendanda ratione librorum .. Varronis de ling. lat.' p. 9, Wachsmuth ‚de Cratete Mallota' p. 68; A. Wilmanns ‚de.. Varronis libris gramm.' p. 14 sq.) a Chrysippo conscriptos non tam de uitiis sermonis quam de linguae origine egisse mihi quidem probabile est; cf. Lersch, philos. linguae, I p. 51 med.

*) Suidas Zoilo tribuit haec scripta: Κατὰ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως λόγοι ἐννέα, ψόγος Ὁμήρου.

Phoebammon (ap. Walzium, rhet. gr. VIII, p. 493) in libro *περὶ σχημάτων* uituperauit[1]).

Chrysippus a Cratete Mallota tamquam praes et arbiter sumebatur in certamine, quod cum Aristarcho inierat de analogia et anomalia. Nec tamen in Cratetis fragmentis, quae a Wachsmuthio in libro de Cratete Mallota p. 37—72 congesta sunt, quidquam inueni, unde ad nostram rem ullus rediret fructus. Crates uero, qui apud Suidam propter doctrinam appellatur *φιλόσοφος Στωϊκός*, quanta fuerit auctoritate apud Romanos nemo ignorat.

Romanos uetustiores grammaticos ex Stoicorum traditione plerumque pendere cum aliunde[2]) constet, tum de soloecismo doctrinam ab iisdem accepisse ita conabor demonstrare, ut per quem uirum hoc factum sit simul appareat.

Diogenes Laertius igitur in libro VII postquam Zenonis Citiensis uitam enarrauit, § 38: „*κοινῇ δέ*, inquit, *περὶ πάντων τῶν στωικῶν δογμάτων ἔδοξέ μοι ἐν τῷ Ζήνωνος εἰπεῖν βίῳ... τὰ δὲ δόγματα κοινῶς ἐστι τάδε . . .* „*Στωϊκοί*“ deinde supplendum est ad haec uerba: § 39 *φασίν*; § 40 *εἰκάζουσι, φασίν, ἐποίουν, τάττουσι*; § 41 *φασίν* bis; § 42 *παραλαμβάνουσι, ἀπευθύνουσι, ὁρίζονται . . καὶ τὴν μὲν ῥητορικὴν αὐτὴν εἶναι λέγουσι τριμερῆ . . .* § 43 *τὴν διαλεκτικὴν διαιρεῖσθαι* (regitur haec periodus uerbo *λέγουσι*, quod in § 42 positum est) *εἴς τε τὸν περὶ τῶν σημαινομένων καὶ τῆς φωνῆς τόπον· καὶ τὸν μὲν σημαινομένων εἴς τε τὸν περὶ τῶν φαντασιῶν τόπον καὶ τῶν ἐκ τούτων ὑφισταμένων λεκτῶν, ἀξιωμάτων, καὶ αὐτοτελῶν . . . ὁμοίως δὲ καὶ λόγων καὶ τρόπων καὶ συλλογισμῶν καὶ τῶν παρὰ τὴν φωνὴν καὶ τὰ πράγματα σοφισμάτων*, § 44. *ὧν εἶναι ψευδομένους λόγους καὶ ἀληθεύοντας . . . εἶναι δὲ τῆς διαλεκτικῆς ἴδιον τόπον καὶ τὸν προειρημένον περὶ αὐτῆς τῆς*

---

[1]) Hoc loco commemorem eam quam Phoebammon (Walz. rh. gr. VIII, 494 sq.) exhibet schematis definitionem ab Apollonio Molone et Athenaeo Naucratita positam: „*σχῆμά ἐστι μεταβολὴ εἰς ἡδονὴν ἐξάγουσα τὴν ἀκοήν*“.

[2]) Cf. Priscian. ed. Hertz apud Keilium, gr. lat. II, p. 548, 13.

φωνῆς, ἐν ᾧ δείκνυται ἡ ἐγγράμματος φωνὴ καὶ τίνα τα τοῦ λόγου μέρη. Καὶ περὶ σολοικισμοῦ καὶ βαρβαρισμοῦ καὶ ποιημάτων καὶ ἀμφιβολιῶν ..... In §§ sequentibus aeque atque in antecedentibus multi Stoici et uetustiores et recentiores nominantur, si qui de singulis doctrinae partibus accuratius egerunt. Etiam de soloecismo et barbarismo quis quaesiuerit expedire licebit. In §§ enim 55—57 quinquies appellatur Diogenes Babylonius, cuius mentio iam in § 39 facta est; proferuntur in his §§ 55—57 definitiones ex arte Diogenis Babylonii, quam *περὶ φωνῆς* scripsit, petitae. In § 57 extr. Diogenem Babylonium quinque orationis partes numerasse legimus, sic quidem ut Chrysippus idem de hac re docuisse dicatur, cum Antipater sex partes poneret. In § 58 Diogenis Babylonii definitiones quid quaeque orationis pars sit exhibentur exemplis instructae, in quibus *ὀνόματος* exemplum ‚*Διογένης*' nomen profertur; in uerbi definitione Diogenis Babylonii sententiae adiciuntur aliorum quorundam placita; in iis, quae sequuntur, coniunctionis et articuli definitionibus a Diogene Babylonio sancitis nihil ex aliis scriptoribus depromptum additur. In § 59 haec extant: „*ἀρεταὶ δὲ λόγου εἰσὶ πέντε, Ἑλληνισμός, σαφήνεια, συντομία, πρέπον, κατασκευή. Ἑλληνισμὸς μὲν οὖν ἐστι φράσις ἀδιάπτωτος ἐν τῇ τεχνικῇ καὶ μὴ εἰκαίᾳ συνηθείᾳ. σαφήνεια δέ ἐστι λέξις γνωρίμως παριστᾶσα*[1]) *τὸ νοούμενον. συντομία δέ ἐστι λέξις αὐτὰ τὰ ἀναγκαῖα περιέχουσα πρὸς δήλωσιν τοῦ πράγματος. πρέπον δέ ἐστι λέξις οἰκεία τῷ πράγματι. κατασκευὴ δέ ἐστι λέξις ἐκπεφευγυῖα τὸν ἰδιωτισμόν. ὁ δὲ βαρβαρισμὸς ἐκ τῶν κακιῶν λέξις ἐστὶ παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκιμούντων*[2]) *Ἑλλήνων, σολοικισμὸς δέ ἐστι λόγος ἀκαταλλήλως συντεταγμένος.* Primum h. l. barbarismus et soloecismus ita discernuntur, ut

---

[1]) „*παριστᾶσα*" scripsi monente Iacobitzio, qui de hac lectione uerba fecit in commentariis editioni Huebnerianae adiectis. (uol. II, p. 145).

[2]) *Εὐδοκιμούντων* scripsi pro *εὐδαιμονούντων*. Hanc correctionem quam iam Vossius proposuit, a quo quidem dissensit Menagius ad Diog. Laert. p. 289 (Amstelodami 1692) *εὐδαιμονούντων* seruans, iterum exhibet Cobet in Diogenis Laertii editione Didotiana probante Wachsmuthio, de Cratete Mallota p. 16.

ille fiat in singulis formis, hic in syntaxi. Qua in definitione minime nego Diogenem Babylonium nixum esse Chrysippo magistro suo [1]), quem libros *περὶ σολοικισμῶν* scripsisse commemorauimus, sed Diogenem Laertium hanc definitionem exhibere talem, qualis in ipsius Diogenis Babylonii libro exstiterit praecisa, citandi tota ratio in his paragraphis adhibita demonstrat [2]). Quod in exemplis ‚*Διογένης*‘ nomen occurrit, Diogenes Babylon. idem uidetur fecisse quod Lucilius (IV, u. 14 Muell.), Priscianus (Hertz ap. Keilium II, 79, 9), alii, qui sua ipsorum nomina in exemplis proferebant.

Diogenes Babylonius anno 155 ante Chr. nat. cum Carneade et Critolao legatus Atheniensium Romam [3]) missus iuuenes nobilissimos sibi conciliauit. Mox Panaetius [4]) discipulus Athenis Romam eum secutus est, quem cum Stoicorum omnino doctrinam Romae diligentissime peruulgasse constet libros quoque Diogenis magistri sui ueri simillimum est cum Romanis communicasse, artem *περὶ φωνῆς* dico supra memoratam et librum de dialectia [5]), ad quem Diog. Laert. VII, 71 recurrit necnon Cicero de orat. II, 38, 157. Panaetium Scipione Africano et Laelio familiarissime usum esse produnt Cicero Acad. II, 2, 5 et Suidas, s. u. *Παναίτιος*. Lucilius uero poeta quam arte amicitia coniunctus fuerit cum Scipione et Laelio apud omnes constat.

Itaque Lucilius inter ea, quae Panaetius profitebatur, grammaticam quoque Diogenis Babylonii disciplinam accepit, quam in libro nono satirarum respexit, non ut singula uerba graeca anxie interpretaretur, sed ex usu Romanorum ad-

[1]) Vid. Cic. de divin. I, 3, 6.

[2]) In § 60 Diogenes Laert. secundum dispositionem, quam in § 44 proposuit, de poemate quid docuerint Stoici explanaturus Posidonii libro utitur, qui inscriptus erat *περὶ λέξεως εἰσαγωγή*.

[3]) Cic. Academ. 2, 45, 137; de orat. 2, 37, 155. Gellius, n. a. XV, 11.

[4]) Suidas, s. u. *Παναίτιος*.

[5]) Krische, theol. discipl. graecor. sapient. (Gottingae 1840) p. 484 not. utroque titulo unum et eundem librum significari censet.

deret uel demeret, quae maioris minorisue momenti fore existimabat. Soloecismus quoque — ut mittam alias grammaticae partes, quas quomodo Lucilius Stoicos secutus tractauerit, hic explicare longum est — satis multos attulit, quales tum temporis Romae committebantur. Apud Pompeium grammaticum (Keil V, p. 289) traditur hoc Lucilii fragmentum:

„Adde soloecismon genera atque uocabula centum";

Pompeii uerba haec sunt: „quot modis fiunt soloecismi? Donatus redegit se ad summam brevitatem et dixit ‚duobus tantum'. Lucilius autem dixit centum et enumerauit omnes; exstat liber ipsius, quo dicit illud; nam ait sic „Adde — centum" et percurrit ipsa uocabula uersibus scriptis arte et ibi enumerauit illa omnia". Item Seruius (Keil IV, p. 446) et Isidorus (orig. I, 32, 5) Lucilium de centum soloecismorum generibus disseruisse asseuerant. Cum tamen pauca ex uastis satirarum reliquiis erui possint de soloecismo, de conatu ‚enumerandi' centum soloecismorum genera plane est decedendum. Attamen Lucilius non centum uocabula sollemniter perscripta in speciebus soloecismi proferendis exhibuisse uidetur; immo uero credas Lucilium ex iis erroribus — qui si omnia colligas, quae in quinque partibus orationis eorumque quae dicuntur accidentibus inepte coniunctis et immutatis falsa reprehendi possint, numero longe plures sunt quam centum — ex his igitur erroribus Lucilium existimes elegisse eos, qui in cotidiano sermonis usu maxime ualerent. Quibus certo de soloecismo agitur, hi uersus libri noni sunt:

ed. Muell. fragm. XXX:

„nam uelut intro aliud longe esse atque intu' uidemus
sic item ‚apud se' longe alid est neque idem ualet ‚ad se':
intro nos uocat ad sese, tenet intus apud se".

‚Intro' et ‚intus' etiam a posteriorum aetatum grammaticis exemplorum loco proferuntur, ubi de soloecismis immutatione partium orationis effectis sermo fit, uelut a Quintiliano (I, 5, 50) et a Donato (Keil IV, p. 394, 14). Sophisticum soloecismum tetigisse Lucilius uidetur

ed. Muell. libr. incert.[1]) fragm. XXIX:

„quis hunc currere ecum nos atque equitare uidemus,
his equitat curritque. oculis equitare uidemus;
ergo oculis equitat".

„Schema" ut apud graecos et latinos posteriores grammaticos usurpatur a Lucilio in l. IX, fragm. XXXIV; schematum explicationem Lucilium eis, quae de soloecismo praecepit, subiunxisse opinor, id quod postea quoque grammatici facere solebant. Barbarismi exempla Lucilius proferre uidetur in libri IX fragmentis XXIII—XXIX. „Cacosyntheton" uocabulum, quod apud posteriores grammaticos[2]) de uno ex duodecim uitiis sermonis sollemniter usurpatur, apud Lucilium IX, fragm. XIX hanc significationem nondum induit, sed malam singularum litterarum coniunctionem notat. Vitium quoduis contra orthographiam commissum in barbarismi finibus haberi potest uelut et illud, quod ex aliis Lucilii fragmentis (uid. libri noni fragm. II, IV, VIII—XVI, XX, XXIII) exhibebo ultimum, in quo uellit poeta Caecilium praetorem, qui nomen et titulum suum maluit scribi per „e" litteram (lib. IX, fragm. IX ed. Mueller):

„— ◡ ◡ Cecilius pretor ne rusticu' fiat".

Sermonem ‚rusticum' dixisse Nigidium Figulum pro barbarismo auctor est Gellius n. a. XIII, 6: „Quod nunc (autem) ‚barbare' quem loqui dicimus, id uitium sermonis non barbarum esse sed ‚rusticum' et cum eo uitio loquentes ‚rustice' loqui dictitabant. P. Nigidius in commentariis grammaticis „Ructicus fit sermo" inquit „si adspires perperam"[3]), itaque id uocabulum, quod dicitur uulgo ‚barbarismus', qui ante diui Augusti aetatem pure atque integre locuti sunt an dixerint nondum equidem inueni".

---

[1]) Inserendum igitur hoc fragmentum esse libro nono mihi quidem ueri simile est.

[2]) Velut apud Donatum (Keil IV, 395, 15) et Charisium (Keil. I, p. 271, 22).

[3]) Vid. Mar. Plot. Sacerd., Keil VI, p. 451. Conferri etiam potest h. l. Catulli carmen LXXXIV.

Soloecismi graecanicum uocabulum latini qui post Lucilium exstiterunt grammatici induxisse in linguam latinam uidentur; ea contra uocabula de quibus iam disputabo — stribiliginem[1]) imparilitatempue dico — quominus in communem usum reciperentur, id obstitit, quod graeci grammatici maiore auctoritate fruebantur quam latini, quo factum est ut soloecismi uocabulum retineretur.

Pro soloecismo Aurelium Opilium inuenisse apud latinos auctores uocabulum stribiliginis memoriae prodidit excerptor commentariorum in Donatum (K. V, p. 328): „soloecismum latine nostri[2]) dixerunt — ut ait Aurelius Opilius — stribliginem, cuius nominis etymologiam nondum inuenio". Gellius n. a. V, 20 refert soloecismum a Sinnio Capitone eiusdemque aetatis aliis ‚inparilitatem' appellatum et ita explicatum esse: „soloecismus est impar atque inconueniens compositura partium orationis"; uetustiores uero eandem rem ‚stribiligine' significasse neque apud Graecorum idoneos (i. e. „ab eis Atticis, qui elegantius locuti sunt") soloecismi uel barbarismi uocabula inueniri, pro quibus usurpata essent adiectiua: *βάρβαρον* et *σόλοικον*. „Nostri quoque antiquiores — pergit Gellius — ‚soloecum' facile, ‚soloecismum' haut scio an umquam dixerunt". Quod cum contendat Gellius errat; reuera enim occurrit uocabulum soloecismi praeter illum Lucilii locum in Cornificii rhetoricis ad Herennium. Apud hunc enim legimus IV, 12, 17: „soloecismus est cum in uerbis pluribus consequens uerbum superiori non accommodatur; barbarismus est cum uerbum aliquod uitiose effertur". Cornificium patria scientia magnopere gauisum gloriatumque esse constat; qui cum operis sui dispositionem ex Graecis fontibus hausisset, terminos tamen qui dicuntur technicos latine extulit; cum igitur IV, 7, 10 dixerit: „nomina rerum graeca conuortimus", sed soloecismi barbarismique nominibus utatur, iam tum sollemniter

[1]) „Stribiliginem" scripsi cum Hertzio, Gell. V, 20.

[2]) In Santrae perdito libro de uerborum antiquitate conscripto soloecismi stribiliginisue mentionem factam esse facile suspiceris.

usurpata fuisse haec nomina in grammatica Romana consentaneum est[1]).

Similem atque Aurelius Opilius et Sinnius Capito interpretationem apud Keilium, gr. lat. I, p. 456 exhibet Diomedes: „latine barbarismus dissonans uocatur, metaplasmus transfictio dicitur, soloecismus ⟨imparilitas,[2]) schema⟩ figura appellatur". — Has latine elatas interpretationes erant ut dixi qui probarent uiri litteras uernaculas fouentes; attamen cum paucis acceptae essent non diu locum suum obtinuere. Varroni non credo acceptum fuisse stribiliginis uocabulum grammatice usurpatum; illo enim loco (VII, 67. O. Muell.), quo ‚stribulus' adiectiuum explicat simulque Opilium nominat, tacet omnino de grammatico huius uocabuli usu,[3]) quem si assentiretur Opilio h. l. tacturum fuisse Varronem ueri simile est. Derivanda autem esse ‚stribulus' et ‚stribiligo' a „στρεβλός" (στρέφειν) graeco uocabula iam Varro intellexit[4]) et usurpabantur ut videtur primum haec uocabula in prisco sacrificiorum ritu unde translata sunt adnotandam omnis generis peruersitatem. In etymologia uero patria illa Romana scientia, quae substituit ‚stribiliginem' pro ‚soloecismo', decepta est ea re, quod stribiligo, etiamsi in Romanorum ore iam olim fuisse uidetur, ad Graecum recurrit idioma. Arnobius ueterum litterarum affectator, qui exeunte III. post Chr. nat. saeculo scripsit, in libro aduersus nationes emisso I, p. 45 stribiliginis, paullo post

---

[1]) Cornificius non absoluisse uidetur quod promisit l. l.: „haec qua ratione uitare possimus in arte grammatica dilucide dicemus"; apud ueteres quidem nusquam mentio fit huius artis grammaticae. Vid. Lersch, philos. I, p. 140.

[2]) Sic scribendum esse facile concedes pro illo quod Keilius in textum recepit: . . „metaplasmus transfictio dicitur, soloecismus figura appellatur".

[3]) Neque imparilitatis neque soloecismi mentio fit in eis Varronis libris de lingua latina qui hodie supersunt.

[4]) Varro, ed. O. Mueller VII, 67: „stribula, ut Opilius scribit, circum coxendices sunt bouis; id Graecum est ab eius loci uersura". Cf. Gellius V, 20, 1. Vid. etiam Vanicek, lex. etymol. (Lips. 1874), p. 220; necnon Duentzer, doctr. formar. ling. lat. p. 127.

(I, p. 59) soloecismi et barbarismi uocabula exhibet. Praeterea uno tantum loco inueni uocabulum stribiliginis, in Onomastico Latino-Graeco Argentorati a. 1536 edito, quo utebatur Labbaeus a. 1679 in glossariis Cyrilli et Philoxeni edendis; legitur apud Labbaeum p. 175: „stribiligo: *σολοικισμός*“.

Cicero, cuius duos locos supra p. 13 exhibui, grammatice non usurpat hanc uocem, nisi semel in epist. ad Att. I, 19 (10): „commentarium consulatus mei graece compositum misi ad te; in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque uideatur, non dicam, quod tibi ut opinor Panormi Lucullus de suis historiis dixerat se quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et *σόλοικα* dispersisse. Apud me si quid erit eiusmodi, me imprudente erit ac inuito“.

Post hos latinos scriptores audiamus Dionysium Halicarnassensem, qui in epistola ad Ammaeum *περὶ τῶν Θουκυδίδου*[1]) *ἰδιωμάτων*, uol. VI, p. 792, idemque in libro *περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος κ. τ. λ.*, uol. VI, p. 868 (ed. Reiske) haec habet: „*πλεῖστα δ' ἄν τις εὕροι παρ' αὐτῷ τῶν σχημάτων* (p. 868: *σχήματα*, deficiente *τῶν*) *προσώπων δ' ἀποστροφαῖς καὶ χρόνων ἐναλλαγαῖς καὶ τοπικῶν σημειώσεων μεταφοραῖς ἐξηλλαγμένα* (p. 868 additur: *τῶν συνήθων*), *καὶ σολοικισμῶν λαμβάνοντα φαντασίαν* (p. 868: *φαντασίας*) *ἀποστέγειν*“. Schema igitur et soloecismus h. l. ita discernuntur, ut illud in uirtutibus, hic in uitiis ducatur.

Ex Philoxeno, qui *ὑπομνήματα τῆς Ὀδυσσείας* composuit[2]) haec refert Stephanus Byzantius (ed. Meineke p. 66, 7): „*Ἀλαβανδιακὸς*[3]) *σολοικισμὸς ὡς Φιλόξενος τὴν Ὀδύσσειαν ἐξηγούμενος, ὅταν ἡ ‚μὴ‘ ἀπαγόρευσις ἀντὶ τῆς ‚οὐ‘ κεῖται*“.

[1]) Cf. quae de Thucydide Dionysius Hal. dicit in libro de compo, sitione conscripto, ed. Schäfer p. 114.

[2]) Vid La Roche, cris. hom. text. p. 111. — Cf. etiam Kleist, de Philoxeno (Gryphisw. 1865) p. 14.

[3]) Cf. quae in schematum nominibus apud Lesbonactem exhibentur- Valcken. post Ammon. p. 177 sq.

De illa definitione, quam Valckenarius (post Ammonium p. 177 in annotationibus) et Boissonade (anecd. gr. III, p. 284) typis descriptam ita exhibent, ut suspicentur eam Tryphonis esse grammatici, qui sub annum 20 ante Chr. n. floruerit, infra ubi de Gregorio Corinthio sermo fiet dicendum erit.

A Strabone*) separantur *σολοικίζειν* et *βαρβαρίζειν* lib. XIV, c. 28. Quod nostra inquisitione eruimus, testatur Strabo: posteriore demum tempore translatas esse illas notiones in grammaticam artem (*μετήνεγκαν εἰς τὰς περὶ ἑλληνισμοῦ τέχνας*) ad certa sermonis uitia sollemniter indicanda.

Quoniam testimonia ab antiquis scriptoribus per quattuor saecula ante Christum natum de soloecismo lata examinauimus, nunc uideamus quae inde ab Augusti temporibus a grammaticis de eodem sint prolata. Hi scriptores omnes inter barbarismum et soloecismum id constanter statuunt discrimen, ut ille cadat in singula uerba, hic in syntaxin; porro ut barbarismus in poemate factus metaplasmus uel tropus, soloecismus in poemate appelletur schema. Ut id significarent, quod neque uitium neque uirtutem appellare uellent, grammatici inuenerunt haec uocabula: *σολοικώδης, σολοικοειδής, σολοικοφανής*. Quaestionem de soloecismo inter uiros doctos tum in cotidianas tamquam abscessisse controuersias apparet. In utrumque enim partem uiri docti abierunt nec sine mordacitate de ea potissimum re disputabant, num in singulis uerbis soloecismus posset fieri. Locos qui pertinent ad hanc controuersiam hac nota signabo „NB".

Seneca rhetor in suas. II, 13 Cornelii Seueri uersum quendam exhibet, in quo „Porcellus grammaticus illud arguebat quasi soloecismum, quod cum plures induxisset, diceret: ‚Hic meus est dies', non ‚Dies hic est noster': et in sententia optima accusabat id, quod erat optimum; muta enim, ut ‚noster' sit, peribit omnis uersus elegantia: in quo hoc est decentissimum, qnod ex communi sermone trahitur . nam quasi prouerbii loco est: ‚Hic dies meus est' . et cum ad sensum

*) Vid. pag. 2 huius opusculi.

rettuleris, ne grammaticorum quidem calumnia, ab omnibus magnis ingeniis submouenda, habebit locum. Dixerunt enim non omnes simul, tanquam in chorum manu ducente grammatico, sed singuli ex his: ‚Hic meus est dies'."

Seneca philos. in epist. 95 (ed. Fickert I, p. 519): „grammaticus" inquit, „non erubescit soloecismo, si sciens facit: erubescit si nesciens". Excusatur magister, qui pueros docendo profert soloecismos; simillima habet Sextus Empiric. ed. Bekker p. 199.

Lucillii exstant haec epigrammata: in Anthol. Pal. XI, 138 Heliodorum grammaticum illudit:

„Ἂν τοῦ γραμματικοῦ μνησθῶ μόνον Ἡλιοδώρου
εὐθὺ σολοικίζον τὸ στόμα μου δέδεται."

Marcum rhetorem et Rufum[1]) grammaticum Lucillius carpit uersibus hisce (Anthol. Pal. XI, 143):

„οὐ δέχεται Μάρκον τὸν ῥήτορα νεκρὸν ὁ Πλούτων
εἰπών· ‚Ἀρκείτω Κέρβερος ὧδε κύων.
εἰ δ' ἐθέλεις πάντως, Ἰξίονι καὶ Μελίτωνι[2])
τῷ μελοποιητῇ καὶ Τιτυῷ μελέτα'."

In Flaccum rhetorem, quem eundem quibus uersibus illuserit Ammianus uid. p. 3 huius opusculi, item inuehitur Lucillius, Anth. Pal. XI, 148:

„Μηδὲ λαλῶν, πρώην ἐσολοίκισε Φλάκκος ὁ ῥήτωρ,
Καὶ μέλλων χαίνειν εὐθὺς ἐβαρβάρισεν,
Καὶ τῇ χειρὶ τὰ λοιπὰ σολοικίζει διανεύων.
Κἀγὼ δαὐτὸν ἰδὼν — τὸ στόμα μου δέδεται".

In postremo uersu Lucillius iocando soloecismi exemplum ipse fingit.

Plinius maior in libris dubii sermonis de barbarismo et soloecismo egisse uidetur; Seruius haec refert (Keil IV, p. 444): „Plinius dicit barbarismum esse sermonem unum in quo uis sua est contra naturam". Pompeius Plinii placita tradit haec

---

[1]) Rufus grammaticus idem esse uidetur, qui a Quintiliano I, 5, 43. nominatur in dualis numeri crisi.

[2]) De Melitonis pessimi poetae „Niobe" dramate uid. Anthol. Pal. XI, 246, 6.

(Keil V, p. 283): „quid est barbarismus? quod non dicitur per naturam . quid est soloecismus? quod male per artem dicitur“. . . . (Keil V, p. 292): „Plinius sic dicit: quando sit soloecismus, quando sit schema, sola intellegentia discernit“.

De M. Pomponio Marcello duas narratiunculas tradit Suetonius, de ill. gramm. XXII: „Marcus Pomponius Marcellus sermonis latini exactor molestissimus, in aduocatione quadam soloecismum ab aduersario factum usque adeo perseuerauit, quoad Cassius Seuerus interpellatis iudicibus dilationem petiit, ut litigator suus alium grammaticum adhiberet, quando non putat is cum aduersario de iure sibi, sed de soloecismo controuersiam futuram. Hic idem cum ex oratione Tiberium reprehendisset affirmante Ateio Capitone ‚et esse illud latinum et si non esset, futuram certe iam inde‘: ‚Mentitur, inquit Capito. Tu enim Caesar ciuitatem dare potes hominibus, uerbis non potes‘.“

Palaemonem in arte sua de soloecismo disseruisse liquet ex Iuvenalis uersibus VI, 451—456:

„Odi
Hanc ego, quae repetit uoluitque Palaemonis artem,
Seruata semper lege et ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria uersus,
Nec curanda uiris opicae castigat amicae
Verba: soloecismum liceat fecisse marito“.

Palaemonem uero compilarunt multifariam de quibus infra dicetur Charisius et Diomedes grammatici.

Quintilianus de qua pluribus agatur dignam censet quaestionem de soloecismo in libro primo institutionis oratoriae. Totum locum ideo exscribam, ut plura exempla soloecismorum proferam quam ex locis adhuc allatis licuit. Legimus igitur I, 5, § 5 haec: „Prima barbarismi ac soloecismi foeditas absit. . . . § 6. Interim uitium, quod fit in singulis uerbis sit barbarismus. I, 5, 16: „Absurdum forsitan uidetur dicere barbarismum, quod est unius uerbi uitium, fieri per numeros aut genera sicut soloecismum: ‚scala‘ tamen et ‚scopa‘ contraque ‚hordea‘ et ‚mulsa‘, licet litterarum ⟨im⟩mutationem, de-

tractionem, adiectionem habeant, non alio uitiosa sunt, quam quod pluralia singulariter et singularia pluraliter efferuntur: et 'gladia'[1]) qui dixerunt, genere exciderunt. Sed hoc quoque notare contentus sum, ne arti culpa quorundam peruicacium perplexae uidear et ipse quaestionem addidisse (NB!)". Absoluta de barbarismo disputatione Quintilianus sic pergit § 34: „Cetera uitia omnia ex pluribus uocibus sunt, quorum est soloecismus, quamquam circa hoc quoque disputatum est (NB!). nam etiam qui complexu orationis accidere eum confitentur, quia tamen unius emendatione uerbi corrigi possit, in uerbo esse uitium, non in sermone contendunt, (35) cum, siue 'amarae corticis' seu 'medio cortice' per genus facit soloecismum .., mutatio uocis alterius, in qua uitium erat, rectam loquendi rationem sit redditura, ut 'amari corticis' fiat uel 'media cortice'. quod manifestae calumniae est: neutrum enim uitiosum est separatum, sed conpositione peccatur, quae iam sermonis est. (36) Illud eruditius quaeritur, an in singulis quoque uerbis possit fieri soloecismus (NB!): ut si unum quis ad se uocans dicat 'uenite' aut si pluris a se dimittens ita loquatur 'abi' aut 'discede'. Nec non cum responsum ab interrogante dissentit, ut si dicenti 'quem uideo?' ita occurras 'ego'. In gestu etiam nonnulli putant idem uitium inesse, cum aliud uoce, aliud nutu uel manu demonstratur. (37) Huic opinioni neque omnino accedo neque plane dissentio (NB!). Nam id fateor accidere uoce una, non tamen aliter quam si sit aliquid, quod uim alterius uocis optineat, ad quod uox illa referatur: ut soloecismus ex complexu fiat eorum, quibus res significantur et uoluntas ostenditur. (38) Atque ut omnem effugiam cauillationem (NB!), sit aliquando in uno uerbo, numquam in solo uerbo[2]). Per quot autem et per quas accidat species, non satis conuenit (NB!). Qui plenissime, quadripertitam uolunt esse rationem nec aliam quam barbarismi, ut fiat adiectione,

---

[1]) Cf. Varro, de l. l. 9, 49 et Lucilius, inc. fragm LI ed. Mueller.

[2]) In hac controuersia Quintiliani opinioni plane assentiri possumus.

ut ‚nam enim, de susum[1]), in Alexandriam', detractione ‚ambulo uiam, Aegypto uenio, ne hoc fecit', transmutatione, qua ordo turbatur: ‚quoque ego, enim hoc uoluit, autem non habuit'... (40). Haec tria genera quidam diducunt a soloecismo et adiectionis uitium *πλεονασμόν*, detractionis *ἔλλειψιν*, inuersionis *ἀναστροφήν* uocant: quae si in speciem soloecismi cadat, *ὑπερβατόν* quoque eodem appellari modo posse. (41). Inmutatio sine controuersia (NB!) est, cum aliud pro alio ponitur. Id per omnis orationis partis deprendimus, frequentissime in uerbo, quia plurima huic accidunt, ideoque in eo fiunt soloecismi per genera, tempora, personas, modos, siue cui ‚status' eos dici seu ‚qualitates' placet, uel sex uel ut alii uolunt octo ... (42): praeterea numeros, in quibus nos singularem ac pluralem habemus, Graeci et *δυϊκόν*. . . (45). Similiter in uocabulis et nominibus fit soloecismus genere, numero, proprie autem casibus, quidquid eorum alteri succedet . huic parti subiungantur[1]) licet per comparationes et superlationes, itemque in quibus patrium pro possessiuo dicitur uel contra. (46). Nam uitium quod fit per quantitatem, ut ‚magnum peculiolum', erunt qui soloecismum putent (NB!), quia pro nomine integro positum sit deminutum: ego dubito an id inproprium[2]) potius appellem, significatione enim deerrat: soloecismi porro uitium non est in sensu, sed in complexu. (47). In participio per genus et casum ut in uocabulo, per tempora ut in uerbo, per numerum ut in utroque peccatur . pronomen quoque genus, numerum, casus habet, quae omnia recipiunt huiusmodi errorem. (48). Fiunt soloecismi et quidem plurimi per partis orationis: sed id tradere satis non est, ne ita demum uitium esse credat puer, si pro alia ponatur alia, ut uerbum, ubi nomen esse debuerit, uel aduerbium, ubi pronomen ac similia. (49). Nam sunt quaedam cognata, ut dicunt, id est eiusdem generis, in quibus qui alia specie quam oportet utetur, non

---

[1]) Vid. quae Halmius adnotauit.

[2]) ‚Inproprium' dicit Quint. acyrologiam, quae a plerisque grammaticis tertio loco ponitur inter XII uitia sermonis.

minus quam ipso genere permutato deliquerit. Nam et ‚an' et ‚aut' coniunctiones sunt, (50) male tamen interroges ‚hic aut ille sit' et ‚ne' ac ‚non' aduerbia: qui tamen dicat pro illo ‚ne feceris' ‚non feceris', in idem incidat uitium, quia alterum negandi est, alterum uetandi. Hoc amplius ‚intro' et ‚intus' loci aduerbia, ‚eo'tamen ‚intus' et ‚intro sum' soloecismi sunt. (51). Eadem in diuersitate pronominum, interiectionum, praepositionum accident: est enim soloecismus in oratione conprensionis unius sequentium ac priorum inter se inconueniens positio. (52.) Quaedam tamen et faciem soloecismi habent et dici uitiosa non possunt, ut ‚tragoedia Thyestes',[1]) ut ‚ludi Floralia ac Megalensia': quamquam haec sequenti tempore interciderunt numquam aliter a ueteribus dicta. Schemata igitur nominabantur, frequentiora quidem apud poetas, sed oratoribus quoque permissa (NB!) (53). Verum schema fere habebit aliquam rationem . . . sed id quoque, quod schema uocatur, si ab aliquo per inprudentiam factum erit, soloecismi uitio non carebit. (54). In eadem specie sunt, sed schemate carent, ut supra dixi, nomina feminina[2]) quibus mares utuntur, et neutralia quibus feminae. Hactenus de soloecismo: neque enim artem grammaticam componere adgressi sumus, sed cum in ordinem incurreret, inhonoratam transire noluimus". — Alibi Quintilianus (I, 6, 18) haec habet: „idem (i. e. eruditi quidam molestissima diligentiae peruersitate inhaerentes analogiae, uid. §§ 12, 17) ‚centum milia nummum' et ‚fidem deum' ostendant duplices quoque soloecismos esse, quando et casum mutant et numerum: nesciebamus enim ac non consuetudini et decori seruiebamus, sicut in plurimis, quae M. Tullius in Oratore diuine ut omnia exequitur". Nesciendi uerbum ironice Quintilianum h. l. usurpasse unusquisque intelleget; schemata[3])

---

[1]) Cf. Sextus Empiricus, ed. Bekk. p. 647. — Cf. etiam Terent. Eunuch. prol. u. 32.

[2]) Similiter Smaragdus apud Keil. de gramm. quibusd. lat., Erlang. 1868, p. 21: „Alia sono feminina, intellectu masculina, ut Fenestella scriptor, Agricola orator". Cf. ibid. p. 26, ubi Gosberti locus simillimus affertur.

[3]) Vid. supra Quint. I, 5, 52.

igitur potius nominat has compositiones, quas alii soloecismos appellabant. — Alium Quintiliani locum attuli, cum de Theophrasto egi. — De metaplasmis et schematibus obiter disserit Quintil. I, 8, 14 et IX, 3, 27.

Grammatica arte argute utitur Martialis in illudendo[1] Pseudo-Calliodoro, epigr. V, 38:

„Unus cum sitis duo, Calliodore, sedetis;
Surge: *σολοικισμὸν* Calliodore facis“.

Plutarchi huc facit locus ‚de discern. amic. et adulat'. p. 59 F: *„ἐπιληπτέον μὲν παιδὶ περὶ δέλτον καὶ γραφεῖον, σολοικίζοντος δὲ καὶ βαρβαρίζοντος οὐ δοκῶν ἀκούειν“.* De alio Plutarchi loco mor. 520 A (in scriptiuncula *περὶ πολυπραγμοσύνης*, ed. Did. p. 629 c. X), quem supra p. 13 descripsi, hic iterum paucis disserendum est. Nam id sane liquet cogitandum esse de soloecismorum poeticornm collectionibus, quales susceperunt tum temporis grammatici. Hanc prouinciam a Musis et Gratiis alienissimam qui sibi usurparent exstiterunt satis multi; quod demonstrant iam Lucilii[2] uersus lib. IX, fragm. XXII sub fin. (ed. Muell.). — Ex iis quae porro apud eundem Plutarchum leguntur mor. p. 731 E[3] (= ed. Didot. p. 892 in cap. II): *„ὡς δὲ τοῖς τοῦ λόγου μορίοις καὶ ταῖς πρὸς ἄλληλα τούτων συντάξεσι καινὸν ἐγγενέσθαι βαρβαρισμὸν καὶ σολοικισμὸν ἐξαίφνης δυνατόν ἐστιν, οὕτως αἱ τοῦ σώματος κράσεις ὡρισμένας ἔχουσι τὰς ὀλισθήσεις καὶ παραβάσεις, τρόπον τινὰ τῇ φύσει καὶ τῶν παρὰ φύσιν ἐμπεριερχομένων“.*

---

[1]) Cf. Mart. VI, 17: ‚Cinnam', Cinname, te iubes uocari.
Non est hic rogo, Cinna, barbarismus?
Tu si ‚Furius' ante dictus esses
‚Fur' ista ratione dicereris.

[2]) Cf. quae de Protagorae uetustissimi critici placito quodam Aristoteles exhibet in arte poet. XIX. — Cf. etiam Athen. III, c. 52 sqq. ubi Ulpiani in sermone morosa anxietas illustratur.

[3]) Plutarchus haec Diogenianum dicentem facit in libro VIII sympos. probl., c. IX, cui inscripsit *‚εἰ δυνατόν ἐστι συστῆναι νοσήματα καινὰ καὶ δι' ἅς αἰτίας'.*

doctrinam apparet de barbarismo et soloecismo Plutarchi tempore ubique decantatam esse sescentiesque emersisse in scriptis uirorum doctorum uel eorum, qui rem grammaticam non profiterentur.

Gellii locos iam supra descripsi, ubi de Aurelio Opilio et Nigidio Figulo dixi; superest ut moneam ipsum Gellium I, c. 7 [1]) soloecismi uocabulo ita uti, ut concludere nobis liceat magis usitatum hoc ipsi Gellio fuisse neque id eum spectasse, ut stribiliginis uocabulum suis scriptis diuulgaret.

Quaestionem illam de qua Quintilianus egit ‚an in singulis quoque uerbis possit fieri soloecismus', Apollonius Dyscolus in libro III, c. IV de constructione sic exponit (ed. Bekk. p. 198): „*Οὐδὲ* [2]) *ἐκεῖνο δέ με λέληθεν, ὥς τινες ἐπετάραξαν τὴν παρὰ πᾶσι συμφώνως πιστευθεῖσαν δόξαν, ὡς μιᾶς λέξεως κακία ἐστὶν ὁ βαρβαρισμός, ἐπιπλοκῆς δὲ λέξεων ἀκαταλλήλων ὁ σολοικισμός, αὐτοὶ εἰσηγησάμενοι τὸ καὶ ἐν μιᾷ λέξει καταγίνεσθαι σολοικισμόν, εἰ κατὰ θηλείας φαίη τις ‚οὗτος',*

‚ὣς φάσαν ἡ πληθύς' (Hom. Il. 2, 278)

παραθέμενοι καὶ ἄλλα τῆς αὐτῆς ἐχόμενα εὐηθείας. τὸ πρῶτον, ὅτι οὐδεμία εὐθεῖα συνίσταται δίχα ῥήματος εἰς αὐτοτέλειαν, καὶ ῥήματος τοῦ μὴ ἀπαιτοῦντος ἑτέραν πλαγίαν. ἔστι γὰρ τὸ ‚οὗτος περιπατεῖ' αὐτοτελές, οὐ μὴν τὸ ‚βλάπτει'· λείπει γὰρ τὸ ‚τίνα'. ἀλλ' εἰ καὶ οὕτω φαίημεν ‚τίς σε ἔτυψε'; τὸ ἀνθυπαγόμενον ‚οὗτος' κοινὸν ἔχει παραλαμβανόμενον τὸ ῥῆμα· ‚τίς καλεῖται Αἴας; οὗτος'. οὐκ ἄρα ἀληθὲς τὸ ἐν μιᾷ λέξει σολοικισμὸν γίνεσθαι (NB!)" . . . p. 199, 10: „*τὸ οὖν κατὰ θηλείας λεγόμενον ‚οὗτός με ἔτυψεν' οὐχ ἁμάρτημα τοῦ λόγου·*

---

[1]) Disseruit Gellius h. l. de quibusdam Ciceronis, Gracchi, Claudii, Valerii Antiatis, Plauti, Laberii sententiis, in quibus semidocto uulgo soloecismi inesse uiderentur, cum reuera ii, quibus ueterum litterae magis euigilatae essent, uitio carere illos locos essent dicturi. Cf. Gell. n. a. XVII, 2. 11. ubi Claudius ab opprobrio soloecissandi defenditur.

[2]) Apollonius in iis, quae praecedunt, uituperauit eos, qui soloecismos notasse contenti essent nec expedirent quonam modo orti essent.

τὸ δέον γὰρ τοῦ καταλλήλου ἀνεδέξατο. εἰ γοῦν ὑποθείς τις θηλείας φαίη τις ‚αὕτη με ἔτυψαν', ὁμολόγως σολοικιεῖ διὰ τὸ ἀκατάλληλον τῶν λέξεων, κἂν ἀληθεύῃ τὸ γένος". — Contendit igitur Apollonius: „si unum uocabulum in unius hominis sermone uitiosum sit, barbarismum esse; in respondendo uero si quis ad quaestionem unum uerbum uitiose efferat, non barbarismum sed soloecismum esse; nam ex quaestione supplendum esse uerbum ideoque in tali responso non de uno uerbo sed de coniunctione uerborum agi. Si quis de femina ‚*οὗτος*' dicat, barbarismum sane esse; contra si quis ‚*αὕτη με ἔτυψαν*' dicat, soloecismum committere". Ex iis quae et praecedunt et subsequuntur apud Apollonium h. l. plura describere displicet; soloecismum idem Apollonius in libro I, cap. II tangit hisce: „*ἐπειδὰν (γὰρ) τὰ μὴ δέοντα τῶν λέξεων συναφθῇ, τὸ τοιοῦτον καλοῦμεν σολοικισμόν*".

Libros suos *πρὸς τοὺς ἐπιτιμῶντας τοῖς σολοικίζουσι τῇ φωνῇ* conscriptos commemorat Galenus ubi *περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων* uerba facit ed. Kuehn XIX, p. 48. Eiusdem operis mentionem inicit (ed. Kuehn XIX, p. 60 sq.) in libro *περὶ τῆς τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων*[1]) necnon in libro I *περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων κράσεως καὶ δυνάμεως*, (ed. Kuehn XII, p. 193 sq.[2])). Quos

---

[1]) Cf. Iwani Muelleri-progr. Erlang. 1874, p. 16. — Galenus Eugeniano et aliis, qui quo consilio duodequinquaginta libros ‚uocum Atticarum' congesserit quaesiuerunt, argumentum huius operis suppeditat; . . „*οὐ δὴ τοῦτ' ἀξιοῦμεν ἡμεῖς, ὅπερ ἔνιοι τῶν νῦν κελεύουσιν, ἅπαντας ἀττικίζειν τῇ φωνῇ, κἂν ἰατροὶ τυγχάνωσιν ὄντες ἢ φιλόσοφοι καὶ γεωμετρικοὶ καὶ μουσικοὶ καὶ νομικοὶ κἂν μηδὲν τούτων, ἀλλ' ἁπλῶς ἤτοι πλουτοῦντές τινες* (sic Muellerus, *πλουτοῦσί τινε.* cod. Ambr. et edd.) *ἢ μόνον εὔποροι. τοὐναντίον γὰρ ἀπαξιῶ μηδενὶ μέμφεσθαι τῶν σολοικιζόντων τῇ φωνῇ μηδ' ἐπιτιμᾶν. ἄμεινον γάρ ἐστι τῇ φωνῇ μᾶλλον ἢ τῷ βίῳ σολοικίζειν τε καὶ βαρβαρίζειν. ἐγράφη δέ μοί ποτε καὶ πραγματεία πρὸς τοὺς ἐπιτιμῶντας τοῖς σολοικίζουσι τῇ φωνῇ. τοσούτου δέω παιδείας τι μόριον ὑπολαμβάνειν τὸ ἀττικίζειν*".

[2]) ... *Τούτων* (i. e. *τῶν ἐπιτιμώντων τοῖς σολοικίζουσι τῇ φωνῇ*) *γὰρ ἔνιοι λίθον ἀρρενικῶς οὐκ ἐπιτρέπουσι λέγειν, ἀλλ' ἐὰν εἴπῃς· ‚ἔμβαλλον τὸν λίθον ἐπὶ τὸν κύνα' κεκράγασιν ὡς αὐτοὶ πεπληγμένοι λίθῳ τὴν*

duobus his locis uituperat homines nimis grammaticae studentes idem Galenus intellegit alio loco, ed. Kuehn. X, p. 71[1]).

Marcus Antoninus ed. Did. I, 10 de Alexandro quodam ludimagistro haec refert: „(παρὰ Ἀλεξάνδρου τοῦ γραμματικοῦ τὸ ἀνεπίπληκτον) καὶ τὸ μὴ ὀνειδιστικῶς ἐπιλαμβάνεσθαι τῶν βάρβαρον ἢ σόλοικόν τι ἢ ἀπηχὲς προενεγκαμένων, ἀλλ' ἐπιδεξίως αὐτὸ μόνον ἐκεῖνο, ὃ ἔδει εἰρῆσθαι, προφέρεσθαι“[2]).

Ex Luciano haec excerpsi: rhet. praec. 17 „ἂν σολοικίσῃς δὲ ἢ βαρβαρίσῃς, ἓν ἔστιν φάρμακον ἡ ἀναισχυντία καὶ πρόχειρον εὐθὺς ὄνομα οὔτε ὄντος τινὸς οὔτε γενομένου ποτὲ ποιητοῦ ἢ συγγραφέως, ὃς οὕτω λέγειν ἐδοκίμαζε σοφὸς ἀνὴρ καὶ τὴν φωνὴν εἰς τὸ ἀκρότατον ἀπηκριβωμένος“. — Demonact. uita c. 40: „κομιδῇ ἀπαιδεύτου ἀνθρώπου καὶ σολοίκου εἰπόντος · ‚ὁ βασιλεύς με τῇ Ῥωμαίων πολιτείᾳ τετίμηκεν'.“ — Vitarum auct. c. 23: „σολοικισμῶν ἐμπιπλάμενον καὶ ἀτόπων ῥημάτων[3])“. Soloecismos quibus scatet Luciani diologus Soloecista (seu Pseudosophista)[4]) hic illustrare longum esse uidetur; in quo dialogo Lucianus hominem quendam, qui mirifice sibi uidebatur

---

κεφαλήν. ὥσπερ γε καὶ ἂν ‚τὸν δρῦν' εἴπῃ τις ὡς ξύλῳ πεπληγότος ἐκβοῶσιν. ἐὰν οὖν ἐκείνοις τις πειθόμενος τὰ συνήθη τοῖς ἰατροῖς ὀνόματα μεταρρυθμίζῃ ‚τὴν λίθον' λέγων, ‚τὴν αἱματῖτιν καὶ τὴν πυρῖτιν καὶ τὴν γαλακτῖτιν καὶ τὴν σχιστὴν', ὡς περίεργός τε καὶ παράσημος καταγνωσθήσεται, πάντων ἐξ ἔθους ἤδη παλαιῶν λεγόντων ἀρρενικῶς τὰς διαφορὰς αὐτῶν ‚αἱματίτην, πυρίτην, γαλακτίτην, μελιτίτην, γαγάτην, σχιστὸν Φρύγιον, Ἀράβιον, Μεμφίτην'.“

[1]) In θεραπευτικῆς μεθόδου libro I: ... „δοκῶ μοι δικαίαν ἀξίωσιν ἐνεγκεῖν, ἵν' ὡς ἡμεῖς ἐκείνοις συγχωροῦμεν ἅττα ἂν γ' ἐθέλωσιν ὀνόματα τίθεσθαι, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον κἀκείνους ἡμῖν συγχωρεῖν Ἑλληνικοῖς τε χρῆσθαι καὶ παλαιοῖς. ἢ δεινὸν ἂν εἴη σολοικίζειν μὲν ἐκείνοις ἐξεῖναι καθάπερ τυράννοις, ἑλληνίζειν δ' ἡμῖν οὐκ ἐξεῖναι“.

[2]) Cf. Grasberger, Erz. u. Unt. II, 105. Cf. etiam Plutarchi locum (de disc. am. et ad. 59 F) quem supra p. 36 exhibui.

[3]) Cf. Luciani dial. mort 10, 10: „καὶ ὁ ῥήτωρ δὲ συ ἀπόθου τῶν ῥημάτων τὴν τοσαύτην ἀπεραντολογίαν καὶ ἀντιθέσεις καὶ περισώσεις καὶ περιόδους καὶ βαρβαρισμοὺς καὶ τἄλλα βάρη τῶν λόγων“.

[4]) Apud Thom. Mag. ed. Ritschl p. 49. 364 codd. quidam exhibent ‚ψευδοσολοικιστής'.

Atticam linguam didicisse, enucleare ac expedire iubet quos ipse continenter committit in dicendo ita soloecismos, ut ille quid sit uitiosum in Luciani quaque sententia non perspiciat. Neque de alio Luciani libro, qui inscribitur 'ψευδολογιστὴς ἢ περὶ τῆς ἀποφράδος', hic plura proferre licet.

Ea quae Herodiani nomine circumferuntur de soloecismo in anecd. gr. Boissonadii III, p. 241 261,*) cum illi auctori tribuisset Villoison (anecd. gr. II, p. 175) abiudicanda esse Herodiano demonstrauit Lentz (in progr. schol. Graudensis 1859, p. 9 sq. necnon in edit. Herod., uol. I, praef. p. XV). Spengel, rhet. gr. III, p. 85 (= Villoison II, 86) Herodiano haec tribuit: „σχῆμά ἐστιν ἐξάλλαξις φράσεως ἀπὸ τοῦ καταλλήλου ἐπὶ τὸ κρεῖττον μετά τινος ἀναλογίας (ἀπολογίας?). διαφέρει δὲ τοῦ σολοικισμοῦ, ὅτι τὸ μέν ἐστι κατόρθωμα καὶ τὴν ἐξάλλαξιν εὔλογον ἔχει, ὁ δὲ σολοικισμὸς ἁμάρτημα μηδεμίαν αἰτίαν τῆς ἀκαταλληλίας ποιούμενος. γίνεται δὲ τὸ σχῆμα κατὰ τοσούτους τρόπους καθ' ὅσους καὶ ὁ σολοικισμός. καὶ γὰρ εἴδη διαλλασσόμενα καὶ γένη καὶ πτώσεις καὶ ἀριθμοὶ καὶ ἐγκλίσεις, ἔτι τε πρόσωπα καὶ χρόνοι καὶ διαθέσεις καὶ πάντα ἁπλῶς ἃ τὴν τοῦ καταλλήλου συνάφειαν ἀπαιτεῖ, παρατραπέντα ποιεῖ τὸ σχῆμα".

Apud Apuleium, florid. ed. Krueger p. 9, 12 legimus „praesertim mihi, cui et ante parta existimatio et uestra de me benigna praesumptio nihil nequicquam sinit [neglegenter] ac de summo pectore hiscere. Quis enim uestrum mihi unum soloecismum ignouerit? quis uel unam syllabam barbare pronuntiatam donauerit? quis incondita et uitiosa uerba temere quasi delirantibus oborientia permiserit blaterare?"

Tertullianus, adu. nat. I, c. 3 (ed. Oehler I, p. 310): „Ego arbitror nullam esse uocabulo aut nomini querellam, nisi cum quid aut barbarum sit aut infaustum sapit uel impudicum, uel aliter quam enuntiantem deceat aut audientem delectet. haec uocabulorum aut nominum crimina, sicuti uerborum atque sermonum barbarismus est uitium et soloecismus et insulsior figura".

*) Cf. Lexic. Vindob. ed. Nauck, p. 283 sqq.

Porphyrion ad Hor. epod. V, 60 (ed. Hauthal I, p. 473): „quale non perfectius meae laborarunt manus] . . Adtende autem locutionem in soloecismo constitutam ‚quale non perfectius', cum dicendum sit ‚quo non perfectius'." — Idem ad Hor. serm. II, 1, 29 (ed. Hauth. II, p. 201): „nostrum melioris utroque]. Mei et tui *σόλοικον* est. Debebat enim dicere ‚nobis', (scil.*) sensu et ingenio melioris".

Sextus Empiricus de barbarismo et soloecismo egit in libro contra grammaticos conscripto. Ex iis, quae in ed. Bekk. p. 646 fin. — 648 init. leguntur, haec exscribam: „*ἄρτι μὲν οὖν ἐκ τῆς πρὸς τοὺς γραμματικοὺς ἀκολουθίας συνῆκται τὸ παρέλκειν μὲν τὴν ἀναλογίαν πρὸς ἑλληνισμόν, εὐχρηστεῖν δὲ τὴν τῆς συνηθείας παρατήρησιν. δῆλον δὲ ἴσως ἔσται ἐκ τῶν ῥητῶν· ὁριζόμενοι γὰρ τόν τε βαρβαρισμὸν καὶ τὸν σολοικισμὸν φασὶ· ‚βαρβαρισμός ἐστι παράπτωσις ἐν ἁπλῇ λέξει παρὰ τὴν κοινὴν συνήθειαν' καὶ ‚σολοικισμός ἐστι παράπτωσις ἀσυνήθης κατὰ τὴν ὅλην σύνταξιν καὶ ἀνακόλουθος'.*" In hanc definitionem Sextus inuehitur; exemplum affert hoc: „*πῶς ἥμαρτον εἰπὼν ‚οὗτος' δείκνυμι δὲ γυναῖκα, ἢ ‚αὕτη' δείκνυμι δὲ νεανίαν; οὔτε γὰρ ἐσολοίκισα. οὐ γὰρ σύνθεσιν πολλῶν ἀκαταλλήλων λέξεων προηνεγκάμην, ἀλλ' ἁπλῆν τὴν ‚οὗτος' λέξιν ἢ ‚αὕτη'. οὔτ' ἐβαρβάρισα. οὐδὲν γὰρ ἀσυνήθης εἶχεν ἡ ‚οὗτος' λέξις*". Post haec Sextus ad id quod per totum hunc librum intendit consilium redit, ut analogisticos grammaticos uituperet: „*ἡ μὲν ἀναλογιστικὴ τέχνη ὄνομα κενόν ἐστι πρὸς τὸ μὴ βαρβαρίζειν ἢ σολοικίζειν· δεῖ δὲ τὴν συνήθειαν παρατηρεῖν καὶ ἀκολούθως αὐτῇ διαλέγεσθαι*". Etiam si aliter definient — pergit Sextus — sibi ipsis obstrepent grammatici; nam si additamenta illa ‚*παρὰ τὴν κοινὴν συνήθειαν*' et ‚*ἀσυνήθης*' ex definitionibus remouentes dicent: ‚*βαρβαρισμός ἐστι παράπτωσις ἐν ἁπλῇ λέξει*' et ‚*σολοικισμός ἐστι παράπτωσις κατὰ τὴν ὅλην σύνταξιν καὶ ἀνακόλουθος*': tum necesse erit, ut enuntiata uelut *Ἀθῆναι καλὴ πόλις, Ὀρέστης καλὴ τραγῳδία, ἡ βουλὴ οἱ ἑξακόσιοι* et similia, quae *κατ' ὅλην τὴν σύνταξιν ἀνα-*

*) ‚scil(icet)' coniecit Hauthal; codd. uel ‚sed' uel ‚sic'.

κολουθοῦντα[1]) se habent, soloecismi appellentur, cum reuera soloecismi non sint quoniam in omnium consuetudinem recepta sunt. Commendat deinde Sextus, ut in soloecismis indicandis non *ἀκολουθία*, sed *συνήθεια* respiciatur. — Sophisticos sermones *σολοικίζοντας* commemorat Sextus in libro II Pyrrhoniarum hypotyposeon § 231. In libro priore contra logicos conscripto (ed. Bekk. p. 199) grammaticus, qui ut discipulis exempla ferat soloecismos committit, a Sexto excusatur et soloecismi crimine absoluitur, quia '*οὐ παρὰ ἀπειρίαν τοῦ ὀρθοῦ λόγου τοῦτο πάσχει*'[2]).

Alexander Numenii filius (apud Walzium, rhet. gr. VIII, p. 423 = Spengel, rh. gr. III, p. 9): „*διαφέρει τοίνυν σχῆμα τρόπου, ὅτι ὁ μὲν τρόπος περὶ ἓν ὄνομα γίνεται ἀρετή, ὥσπερ ὁ βαρβαρισμὸς κακία· τὸ δὲ σχῆμα περὶ πλείω ὀνόματα κόσμησις, ὡς ὁ σολοικισμὸς ἀκοσμία· ὥστε τὴν αὐτὴν εἶναι διαφορὰν βαρβαρισμοῦ τε πρὸς σολοικισμόν, ὡς ἐν κακίᾳ, καὶ τρόπου πρὸς σχῆμα, ὡς ἐν ἀρετῇ λόγου. καθάπερ γὰρ ἐν μὲν τῷ βαρβαρισμῷ ὄνομα διορθοῦμεν, ἐν δὲ τῷ σολοικισμῷ σύνταξιν ὀνομάτων, οὕτω τὸν μὲν τρόπον εἰς τὸ σύνηθες μεταβάλλοντες ὀνόματος εἰς ὄνομα ποιησόμεθα τὴν μετάθεσιν, τὸ δὲ σχῆμα εἰς τὸ κατὰ φύσιν μεταποιοῦντες τὴν σύνταξιν μετακινήσομεν. ἔτι δὲ διαφέρει καὶ ταύτῃ σχῆμα τρόπου, ὅτι ὁ μὲν τρόπος ἀλλότριον ἀντὶ τοῦ ἰδίου ὄνομα ἔχει· τὴν γὰρ τροπὴν ἐκ τοῦ κυρίου λαμβάνει, οἷον 'κορυφὴν ὄρεος'* (Od. ι 481) *καὶ 'πόδα νείατον Ἴδης'* (Il. β, 824). *τὸ δὲ σχῆμα τὸ ἴδιον ὄνομα τοῦ πράγματος σώζει, πῶς μέντοι κείμενον καὶ ὑπ' αὐτῆς τῆς λέξεως πεπλασμένον*". Ibidem apud Walzium p. 426 (= Spengel p. 11): „*σχῆμα δέ ἐστιν ἐξάλλαξις λόγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον κατὰ λέξιν ἢ κατὰ διάνοιαν ἄνευ τρόπου. ὅτι μὲν οὖν ἐξάλλαξις δῆλον· ὅτι γὰρ οὐκ ἐπ' εὐθείας ἐκφέρεται ὁ λόγος, γίνεται διὰ τοῦτο σχῆμα· πρόσκειται δὲ τὸ 'ἐπὶ τὸ κρεῖττον', ὅτι καὶ ὁ σολοικισμὸς ἐξάλλαξίς ἐστι λόγου, ἀλλ' ἐπὶ τὸ χεῖρον. ἵν' οὖν ἡ διαφορὰ σχήματός τε καὶ σολοικισμοῦ φαίνηται, διὰ τοῦτο*

---

[1]) Sic scribendum est cum cdd. Geneuensi et Fabriciana pro 'ἀκολουθοῦντα'.

[2]) Vid. supra Senecae locum (p. 31 huius opusculi).

πρόσκειται ‚ἐπὶ τὸ κρεῖττον' · τὸ δὲ ‚ἄνευ τρόπου' πρόσεστιν, ἐπεὶ καὶ ὁ τρόπος ἐξάλλαξις λόγου ἐστὶ κατὰ λέξιν".

Alexandrum uel eius fontem[1]) exscribit Phoebammon, de quo infra p. 48 dicemus. Apud Aquilam Romanum, qui compilauit Alexandri Numeniani scripta, deest illa soloecismi definitio neque inuenitur in iis, quae Julius Rufinianus adiecit ad librum Aquilae. Sed cum Alexandri tum omnium Graecorum technicorum opera multifariam depeculatos esse grammaticos Romanos aperte constat[2]). De singulis uero fontibus, qui commixti sint in Romanorum consarcinationibus, coniecturas proferre non libet, cum pro suo quisque ingeniolo grammatici uel addendo uel demendo ita confuderint exemplaria graeca uel latina, ut uersicolor quaedam in iis appareat et fallax uarietas. Facile igitur ueniam me impetraturum esse spero, si quam breuissime agam de his compilatoribus, qui summam laudem inde uidentur petiuisse, ut quam plurimas diuisiunculas et partitiunculas congererent. Definitiones modo exhibuisse ab illis allatas satis habebo nec specierum enumerationem repetam aut exemplorum molem, quae quidem, cum ex poetis (inprimis ex Vergilio) sumpta sint, schemata potius quam soloecismos appellari oportuit secundum ipsorum grammaticorum definitionem. — Attamen priusquam ad hos aggrediar breuiter Hieronymi mentio inicienda est, qui in libro III in Rufinum conscripto in cap. VI usurpat uocabulum ‚soloecista' (ed. Vallarsi II, p. 537 sq.)

Cominiani definitiones Charisius seruauit (Keil I, p. 265, 23 et 266, 15): „barbarismus est dictio uitiosa" . . . . „De so-

[1]) Alexandrum ipsum se uetustioribns technicis niti confessum esse docet cod. Paris. 2 apud Walzium VIII, p. 421: „δυσθεώρητα γὰρ ταῦτα καὶ ἀκριβοῦς δεόμεθα διαιρέσεως · ὅμως δὲ πειρασόμεθα διελθεῖν, ὅσα τοῖς παλαιοῖς τεχνολόγοις περὶ αὐτῶν εἰς δύναμιν εἴρηται" et p. 422 in textu legimus: „. . . τά τε ὑπὸ τῶν ἀκριβέστερον περὶ αὐτῶν γεγραφότων παραδεδομένα τιθεντες καὶ διακρίνοντες αὐτὰ ἀπ' ἀλλήλων, ὡς δυνατόν".

[2]) Normannus ubi de furtiua grammaticorum Latinorum doctrina uerba facit (uid. Walz. VIII, p. 416 sq.) meminit optime Senecae illius praecepti, quod secuti sint grammatici ‚ut etiamsi adparuerit unde sumptum sit, aliud tamen esse quam unde sumptum est adpareat'.

loecismo, ut ait Cominianus . soloecismus est oratio inconsequens . fit autem aut per partes orationis aut per accidentia partibus orationis". p. 267, 20 a Charisio haec exscribuntur ex Cominiano: „dicunt quidam soloecismum et in uno uerbo fieri, ut siquis feminam ostendat et dicat ‚hic'; sed intellegendum est huic dictioni accidere demonstrationem et sic effici duas partes orationis".

In Donati arte grammatica exstant haec (Keil IV, p. 392, 5): „barbarismus est una pars orationis uitiosa in communi sermone, in poemate metaplasmus, itemque in nostra loquella barbarismus, in peregrina barbarolexis[1]) dicitur" . . . p. 393, 6: „soloecismus est uitium in contextu partium orationis contra regulam artis grammaticae factum . inter soloecismum et barbarismum hoc interest, quod soloecismus discrepantes aut inconsequentes in se dictiones habet, barbarismus autem in singulis uerbis fit scriptis uel pronuntiatis . quamquam multi (NB!) errant, qui putant etiam in una parte orationis fieri soloecismum, si aut demonstrantes uirum ‚hanc' dicamus, aut feminam ‚hunc'; aut interrogati quo pergamus respondeamus ‚Romae'; aut unum resalutantes ‚saluete' dicamus, cum utique praecedens demonstratio uel interrogatio uel salutatio uim contextae orationis obtineat . multi (NB!) etiam dubitauerunt ‚scala quadriga scopa[2])' soloecismus an barbarismus esset, cum scilicet id genus dictionis barbarismum esse uel ex ipsius uitii definitione facile possit agnosci. Soloecismus fit duobus modis aut per partes orationis aut per accidentia partibus orationis". . . p. 394, 26: „Cum barbarismo et soloecismo uitia duodecim numerantur hoc modo: barbarismus, soloecismus, acyrologia, cacenphaton, pleonasmos, perissologia, macrologia, tautologia, eclipsis, tapinosis, cacosyntheton, amphibolia".

Donati commentatores liceat hoc statim loco producere: Seruius (Keil IV, 446, 2): „soloecismi autem", inquit, „definitio est talis:

---

[1]) Aliter M. Plotius Sacerdos (Keil VI, 451, 15): „haec uitia cum dicuntur barbarismi sunt, cum scribuntur barbarolexis". Donato assentitur Isidorus orig. I, 31, 2 (ed. Lindemann p. 47)

[2]) Vid. Quintilianus supra p. 32 extr.

uitium factum in contextu partium orationis, ita ut singuli sermones Latini sint, sed peccet ipsa coniunctio, ut siqui dicat: ‚multi mihi homines iniuriam fecit' pro ‚fecerunt'. Quaesitum est an etiam in uno sermone possit fieri soloecismus, ueluti cum dicimus uni homini ‚saluete'; aut cum uirum uocantes dicimus ‚hanc' aut cum interrogati quo eamus dicimus ‚intus' . . . . 446, 19 „Soloecismorum genera centum dicit esse Lucilius . plane constat breuius et melius posuisse Donatum, qui dixit duo esse genera principalia, reliqua specialia . principalia autem genera soloecismorum sunt, cum fiunt aut per partes orationis aut per accidentia partibus orationis". — Sergius (Keil IV, 563): „soloecismus est oratio inordinatis dictionibus instructa contra rectam loquendi consuetudinem . inter barbarismum et soloecismum hoc interest, quod barbarismus in singulis uerbis fit et in quocumque ordine contra morem Latinitatis[1]); soloecismus autem, quando discrepantes inter se dictiones habet . fiunt autem soloecismi per omnes partes orationis aut per ea, quae accidunt partibus orationis" . . . . p. 564, 23 „in prosa, hoc est in oratione soluta, uitium factum soloecismum dicimus, in poemate autem, hoc est in carmine, schema appellamus". — Pompeius (Keil V, 283, 15): „Ergo uitium factum in una parte orationis barbarismus est. Quid si in conexione fiat? non dicitur barbarismus, sed soloecismus . . (sequitur Plinii locus, quem supra p. 31 sq. descripsi) . . ergo quotienscumque singulae partes integrae sunt, sed conexio non est integra, soloecismus est; quotiens fit una pars uitiosa, barbarismum facit"; p. 288, 35: „proprie sic definitur: quid est soloecismus? soloecismus est sanae elocutionis corruptela[2])" . . . Sic Pompeius relata refert; simillima sunt, quae in anonymo quodam tractatu latino exstant, in excerptis dico ex commentariis in Donatum, Keil V, 327.

Marius Plotius Sacerdos (Keil VI, 449, 15) de soloecismo haec habet: „soloecismus est latini sermonis inpropria ordinatio,

[1]) „παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκιμούντων Ἑλλήνων" Diog. Babyl. apud Diog. Laert. VII, 59.

[2]) „Σώου λόγου αἰκισμός".

oratio inconsequens, uerborum inter se non suo loco positorum uitiosa structura, carens ordine sermo, dictio non cohaerens . . . fit autem soloecismus modis XVI" . . . 450, 24 „haec si a nobis dicuntur, uitia sunt; si a poetis uel oratoribus schemata, id est figurae nuncupantur". In dissertatiuncula de barbarismo p. 451, 16 inuenimus haec: „inter barbarismum et soloecismum hoc est, quod soloecismus latinus est sermo peruersus, barbarismus uero nullam latini sermonis continet rationem. et quod soloecismus pluribus partibus orationis fit. barbarismus una; quamuis et soloecismus potest interdum una parte orationis fieri (NB!) ac si dicas uni ‚habete' . inter figuram et metaplasmum hoc est, quod figura uirtus est ueniens ex soloecismo, metaplasmus uero de barbarismo".

Cledonius eadem fere ac Donatus habet (Keil V, 79, 20): „barbarismus est una pars orationis: uitia orationis sunt duodecim [1]): barbarismus, soloecismus" sqq.

Charisius (Keil I, 266, 12): „Inter barbarismum et soloecismum hoc interest, quod barbarismus in singulis uerbis fit in quocumque ordine contra morem Latinitatis, soloecismus autem, quando discrepantes inter se dictiones habet oratio. De soloecismo, ut ait Cominianus" uid. quae sub Cominiani nomine supra p. 43 sq. posui . . . p. 267, 23: „Aliis ita placuit definire de soloecismo . soloecismus est non conueniens rationi sermonis uerborum iunctura" . . soloecismus quoque fit modis quattuor: adiectione, detractione, immutatione, transmutatione [2])" . . . p. 265, 6: „hoc uitium (barbarismi) in soluta oratione nomen suum retinet, ceterum apud poetas metaplasmus uocatur, soloecismus autem schema". Quaestionem illam, num in singulis uerbis fieri possit soloecismus, tangit Charisius p. 267, 20 sqq.

Diomedes (Keil I, p. 453, 21): „soloecismus est contra rationem Romani sermonis disturbans orationem et uitium in contextu partium orationis contra regulam artis grammaticae

---

[1]) „Amphiboliae" uitium, quod in cod. Bern. non inuenitur et a Keilio omissum est, ex Donato (Keil IV, p. 394, 26 sq.) facile suppleri potest.

[2]) De hac partitione uid. Quintil. I, 5, 40 sq.

factum, id est non conueniens rationi sermonis iunctura uerborum . . . soloecismus fit modis generalibus XIV aut ut quidam XV (NB!)". p, 455, 25 Diomedes de soloecismo in singulis uerbis commisso agit . . . p. 455, 34[1]): „inter soloecismum et barbarismum hoc interest, quod soloecismus in pluribus partibus fit et discrepantes et inconsequentes inter se dictiones habet, barbarismus autem in una et in soluto sermone . ceterum apud poetas barbarismus metaplasmus dicitur, soloecismus schema nominatur. Latine barbarismus dissonans uocatur, metaplasmus transfictio dicitur, soloecismus imparilitas, schema figura appellatur[2])".

Augustinus[3]), cuius ‚artem breuiatam' Weber edidit Marburgi 1861, de soloecismo et barbarismo disserit p. 29—31: „soloecismus est uitium locutionis, quod fit per latinas quidem partes orationis sed male sibimet nexas: qui enim dicit ‚inter hominibus' si consideres singula nullum fecit uitium, . . sed uitiosum est sic utrumque coniunctum . . . nonnulli a soloecismo seiungunt inproprium quod graece acyrologia dicitur . . . hoc ergo interest inter soloecismum et inproprium, quod in soloecismo reprehenditur ordinis ignorantia, in inproprio autem significationis . . . barbarismus quo singula ipsa uerba latina non sunt". Cf. August. de doctr. christ. II, 13 (p. 45 ed. Bruder).

Ausonius poeta (ed. Tollius p. 84 sq.) in epigr. 138 illudit Auxilium grammaticum hisce:

„Emendata potest quaenam uox esse magistri,
   Nomen qui proprium cum uitio loquitur?
Auxilium te nempe uocas, inscite magister,
   Da rectum casum (Auxilius): iam solicismus eris".

Licentia quae dicitur poetica Ausonius fretus ‚solicismus' scripsit; confundit simul barbarismum et soloecismum, nam

[1]) Vid. quam arte haec congruant cum Donati (Keil IV, p. 393) uerbis.

[2]) Vid. supra p. 28.

[3]) Dosithei in arte, quam Keil edidit in progr. Hal. 1871, de soloecismo nihil inuenio.

uitium de quo agitur, secundum grammaticos in finibus barbarismi est.

Scholia in Dionysium Thracem composuerunt Choeroboscos, Melampus, alii. Ea quae apud Bekk., anecd. gr. p. 659 de soloecismi ueriloquio exstant, in quibusdam codd. Melampodi tribui dixi p. 6. Veriloquium soloecismi ex Choerobosco Melampoda adoptasse cum ibi coniecerim, non tamen a Melampode abiudicem ea, quae praecedunt apud Bekkerum l. l.; paucis enim discedit a Choerobosco, cum haec dicat: „*τέλος τὸ μὴ ἁμαρτάνειν μήτε περὶ μίαν λέξιν μήτε περὶ πλείονας· τὸ γὰρ περὶ μίαν ἁμαρτάνειν βαρβαρισμός ἐστι, τὸ δὲ περὶ πλείονας σολοικισμός*“ (Choerob.: „*περὶ τὴν σύνταξιν καὶ τὴν φράσιν*“).

Georgios Choeroboscos quae praecepit de soloecismo tradita sunt in Etymolog. magno, c. 721, 49: „*Ἰστέον ὅτι διαφέρει τὸ βαρβαρίζειν τοῦ σολοικίζειν. καθὸ τὸ μὲν βαρβαρίζειν τὸ περὶ μίαν λέξιν ἐστὶν ἁμαρτάνειν. κατὰ τόνον μὲν, ὡς ὅταν τὸ ἄνθρωπος ὀξυτόνως εἴπωμεν ἀνθρωπός. κατὰ γραφήν, ὡς ὅταν τὸ Νεῖλος διὰ τοῦ ῑ γράφω. κατὰ κλίσιν, ὡς ὅταν τὸ Αἴας Αἴου κλίνω. κατὰ χρόνον, ὡς ὅταν τοῦ Αἴας τὸ Α συστέλλω. κατὰ πνεῦμα, ὡς ὅταν τὴν ὑπό πρόθεσιν ψιλῶ. Σολοικίζειν δέ ἐστι τὸ περὶ τὴν σύνταξιν καὶ τὴν φράσιν ἁμαρτάνειν, τουτέστιν ἑκάστης λέξεως καθ' αὑτὴν κειμένης καλῶς ἐχούσης, ἐν δὲ τῇ συντάξει καὶ τῇ φράσει ἀτάκτως καὶ ἀνακολούθως παραλαμβανομένης, ὡς ἐπὶ τοῦ ‚ἐγὼ περιπατῶν ὁ τοῖχος ἔπεσεν' κ. τ. λ.*“ Cf. quae (apud Bekk., anecd. gr. p. 1270 sq.) exstant scholia in Theodosium a Choerobosco conscripta.

Quae de soloecismo apud Hesychium leguntur protuli supra p. 14; neglexit uero discrimen illud inter soloecismum et barbarismum iampridem a grammaticis constitutum. De barbarismo idem haec habet: „*βαρβαρισμός. παράτονος διάλεκτος*“.

Phoebammon, postquam protulit Apollonii Molonis et Athenaei Naucratitae*) de schemate placita, eadem fere quae Alexander Numenianus (uid. supra p. 42) habet; in libro enim *περὶ σχημάτων ῥητορικῶν* (apud Walzium, rhet. gr. VIII, p.

*) Vid. p. 22 huius opusculi.

494 sq. = Speng. III, 44) extant haec: „. . (σχῆμά ἐστι μεταβολὴ εἰς ἡδονὴν ἐξάγουσα τὴν ἀκοήν. οὐ πάντοτε δὲ μεταβάλλεται· καὶ γὰρ καὶ ἠθικεύεται καὶ ἐμφατικώτερον ποιεῖ τὸν λόγον.) ὁ δὲ τέλειος αὐτοῦ ὅρος οὕτω· σχῆμά ἐστιν ἐξάλλαξις κατὰ διάνοιαν ἢ λέξιν ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἄνευ τρόπου γινομένη. ἐπὶ τὸ κρεῖττον εἴρηται διὰ τὸν σολοικισμόν· καὶ γὰρ ὁ σολοικισμὸς τροπή ἐστι καὶ ἐξάλλαξις, ἀλλ' ἐπὶ τὸ χεῖρον“.

Tiberius rhetor (Walz VIII. p. 528 = Speng. III, 59): „καὶ γὰρ ὁ σολοικισμὸς ἐξαλλαγὴ τοῦ ἐν ἔθει ἐστίν, ἀλλ' οὔτε χρείας ἕνεκα, οὔτε κόσμου τινὸς χάριν γίνεται“.

Consentius in arte de barbarismis et metaplasmis (Keil V, p. 395, 28): „inter barbarismum et soloecismum quaedam illic distantia a scriptoribus posita est, quod barbarismus una orationis parte, soloecismus pluribus constat“ . . . num soloecismus in singulis uerbis fieri possit quaeritur p. 395, 30 — p. 396, 15 et p. 397, 20—34.

Priscianus (Hertz in Keil. gr. lat. III, p. 111, 14): „Quomodo autem literarum rationem uel scripturae inspectione uel aurium sensu diiudicamus, sic etiam in dictionum ordinatione disceptamus rationem contextus, utrum recta sit an non. nam si incongrua sit, soloecismum faciet, quasi elementis orationis inconcinne coeuntibus, quomodo inconcinnitas literarum uel syllabarum uel eis accidentium in singulis dictionibus facit barbarismum*)“.

Hic liceat referre quae exstant in anonymo tractatu, qui inscriptus est ‚differentiae sermonis' apud Hagen., anecd. Heluet. p. 280: „inter soloecismum et barbarismum hoc interest, quod soloecismus in sensu, barbarismus in uoce“.

Cassiodorus orat. 6, p. 572 usurpat compositum illud ‚soloecophanes'.

In Maximi Victorini arte nihil inueni de soloecismo neque in Marii Victorini libris; attamen Audax, quem Maximi

*) Vid. Volkmann, Hermag. p. 236.

Victorini libros compilasse asseuerat Keil in programmate Erlangensi 1868 p. 4, haec dicit apud eundem Keilium[1]) in indice orationum Halens. 1872 p. 2: „syllabae in dictiones conueniunt, dictio orationem auget, oratio partibus diuisa in virtutes uitiaque descendit . uitia reprehenduntur soloecismo, barbarismo et his, quas Graeci *κακίας λόγου* appellant . uirtutes uero digeruntur in tropos, schemata, metaplasmos et his similia".

Isidorus episcopus Hispalensis orig. I, 32 (= Lindemann, corp. gr. lat. III, p. 48) de soloecismo haec habet: „soloecismus est plurimorum uerborum inter se inconueniens compositio, sicut barbarismus unius uerbi corruptio. Verba enim non recta lege coniuncta soloecismus est, ut si quis dicat ‚inter nobis' pro ‚inter nos' . . . soloecismus autem apud poetas schema dicitur, quotiens in uersu necessitate metri factus inuenitur. Cum autem non inuenitur necessitas, permanet soloecismi culpa. Soloecismus fit duobus modis aut per partes orationis aut per accidentia partibus orationis[2]) . . . sicut Donatus exposuit. Fiunt praeterea ex plurimis modis. Nam Lucilius centum genera soloecismorum dixit, quos omnes uitare potius quam sequi debet, qui regulam recte loquendi tenere studet".

Etymologicum magnum p. 331, 37: „*Ἑλληνισμός ἐστι τὸ καθ' Ἕλληνας διαλέγεσθαι τουτέστι τὸ ἀσολοικίστως καὶ ἀβαρβαρίστως διαλέγεσθαι*".

Clemens apud Keilium in commentatione de grammaticis quibusdam (Erlang. 1868) p. 14: „Quot sunt diuisiones grammaticae artis? XXX uidelicet a quibusdam dinumerantur, id est: partes orationis VIII, uox articulata, littera, syllaba, pedes, accentus, positurae, notae, ortografia, analogia, ethimologia, glosae, differentiae, barbarismi, soloecismi, cetera uitia, metaplasmi, scemata, tropi, prosa, metra, fabulae, historiae . dictio

---

[1]) Keil (Halis 1872) non totam excussit Audacis artem; itaque num exstiterit in ea amplior de soloecismo tractatus necne nos fugit.

[2]) Sic scripsi Donati uerba (supra p. 44) secutus. — Cf. etiam p. 25 huius opusculi.

uero, oratio, diffinitio inter has diuisiones ab aliis numerantur . . . barbarismus est una pars uitiose dicta . . . soloecismus est oratio uitiose composita". Eidem Clementi tribuit Keil tractatum de barbarismo (Keil l. l. p. 10 sq.), qui compositus est sententiis depromptis a Donato, Consentio, aliis.

Suidas ad definitionem soloecismi, quam ex Diog. Laert. VII, 59 excerpsit (*λόγος ἀκαταλλήλως συντεταγμένος*), eadem uerba addit, quae Choeroboscus (supra p. 45): *„ἐγὼ περιπατῶν ὁ τοῖχος ἔπεσεν"*.

Ioannes Saresberiensis in metalogicis, c. 18 (ed. Giles, uol. V, p. 46 sqq.): . . „Recte quidem loqui est soloecismi et barbarismi uitium in sermone declinare. Est autem barbarismus corruptio dictionis non barbarae, id est quae Graeca sit aut Latina. Si enim barbara dictione in nostro utamur eloquio, non barbarismus, sed barbarolexis est [1]. Soloecismus autem est corruptio non quidem dictionis, sed constructionis: cum aduersus legem construendi incompetenter [2] uerba iungantur".

Zonaras praebet haec (ed. Tittm. I, p. 370): *„βαρβαρισμός . παράλογος διάλεξις* [3]*) . ἢ λέξις ἤτοι περὶ τα στοιχεῖα ἢ τὰς προσῳδίας ἡμαρτημένη ἢ τὸ περὶ μίαν λέξιν ἁμαρτάνειν ."* p. 684: *„ἑλληνισμός . τὸ καθ' Ἕλληνας* [4] *διαλέγεσθαι, ὅ ἐστι ἀσολοικίστως καὶ ἀβαρβαρίστως"*. II, p. 1661: *„διαφέρει δὲ ὁ βαρβαρισμὸς τοῦ σολοικισμοῦ, ὅτι ὁ βαρβαρισμὸς ἐν λέξει γίνεται, ὁ δὲ σολοικισμὸς ἐν λόγῳ . τὸ γὰρ περὶ μίαν λέξιν ἁμαρτάνειν βαρβαρισμός ἐστι, τὸ δὲ περὶ πλείονας σολοικισμός"*.

Gregorius Corinthius *περὶ τρόπων*, Walz VIII p. 761—778 extr.: *„σχῆμά ἐστι σολοικισμὸς ἀπολογίαν ἔχων* [5] *. . . διαφέρει δὲ σχῆμα σολοικισμοῦ, ἐπειδὴ σχῆμα μέν ἐστι ποιητοῦ ἢ συγ-*

---

[1]) Vid. et Donati et Plotii Sacerd. uerba supra p. 44.

[2]) Scribendum esse censeo: ‚inconsequenter'.

[3]) Cf. Hesych. p. 48 huius opusculi.

[4]) Sic scripsi pro ‚*καθ' Ἑλλήνων*'.

[5]) Cf. Volkmann, ars rhet. apud Graec. et Rom. (Berolini 1872) p. 355.

γραφέως ἁμάρτημα ἑκούσιον διὰ τέχνην ἢ ξενοφωνίαν ἢ καλλωπισμόν, σολοικισμὸς δὲ ἁμάρτημα ἀκούσιον, οὐ διὰ τέχνην, ἀλλὰ δι' ἀμαθίαν γινόμενον". Tryphoni haec Valckenaer et Boissonade[1]) adscripserant; Walzius autem, quem sequitur Arthurus de Velsen in libello: ‚Tryphonis grammatici Alexandrini fragmenta' (Berolini 1863) p. 100, abiudicauit a Tryphone librum illum περὶ τρόπων et tribuit Gregorio Corinthio.

Simillima Gregorii uerbis profert Eustathius, Odyss. p. 1673: „Δῆλον δ' ὅτι πολλῶν καὶ τοιούτων καὶ ἀλλοίων καινότερον φραζομένων παρά τε ἄλλοις καὶ παρὰ τῷ ποιητῇ, οὐκ ἔστι καιειπεῖν τῶν οὕτω σχηματιζομένων σολοικισμὸν εἴτουν βαρβαρισμόν. κέκριται δὲ σολοικοφανῆ τε σχήματα καλεῖν ταῦτα, καὶ ἁπλῶς οὕτω σχήματα· πᾶν μὲν γάρ φασι τοιοῦτον λάλημα ἤγουν σχῆμα ἁμάρτημά ἐστιν ἑκούσιον διὰ τέχνην ἢ ξενοφωνίαν ἢ καλλωπισμόν. σολοικισμὸς δὲ ἁμάρτημα ἀκούσιον ἐξ ἀμαθίας λαληθὲν παρὰ ὄνομα ἢ ῥῆμα ἢ ἄλλο τι ὧν λέγουσιν οἱ τεχνικοί". Alius Eustathii locus exstat in commentario ad Iliad. p. 367 sq.: „ἐπὶ τούτοις ἰστέον καὶ ὅτι τοῦ βαρβαρίζειν καὶ τοῦ σολοικίζειν διαφερόντων παρὰ τοῖς ὕστερον (NB!) παρ' οἷς ὁ μὲν βαρβαρισμὸς ἁμαρτία ἐστὶ προφορᾶς περὶ λέξεις ἢ τόνους γενομένη, ὁ δὲ σολοικισμὸς περὶ σύνταξιν ἐννοίας σῶον λόγον αἰκίζουσα[2])". Vocabulum ἀσολοίκιστος usurpat Eustathius ad Iliad. p. 591, 5; 1308, 53; ad Odyss. p. 1551, 60; ἀσολοικίστως occurrit in comment. ad Iliad. p. 316, 32.

Ebrardus Bethuniensis[3]) in Graecismo, teste codice Magdeburgensi cuius apographum mihi permisit Studemund, exhibet haec: u. 125:

„Est soloecismus uitium seu barbaquerismus.
Est barbarismus cum dico domina dominus,
Est soloecismus uir mea sponsa meus.
Sub soloecismo sunt illa barbaquerismo:

---

[1]) Vid. p. 30 huius opusculi.

[2]) Quae Eustath. in comment. ad Dionys. Perieg. narrat, exhibui supra p. 5.

[3]) Cf. Kämmel apud Fleckeis. Mas., Jahrb. uol. 110 (1874) p. 313.

Dictio turpe sonans (cacemphaton ipsa uocatur),
Ut si dicatur Tytides medidiesque;
Ast euphonia fit dictio pulcra sonoro" et q s.

Alexander de uilla Dei[1]) apud Thurotium in uol. XXII illius sylloges, cui inscriptum est: ‚notices et extraits des manuscrits, Paris 1868', p. 461:

„Sunt plures alie scripto uel uoce figure.
Hinc sunt exempla pleonasmos acyrologia
Et cacosintheton et eclipsis, tantologia,[2])
Amphibologia, tapinosis macrologia,
Perisologia, cacenphaton, alleotheťa. (?)
Sed nequit hiis Soloe[3]) uel barbaris (?) associari;
Sunt etenim uicia nulla ratione redempta".

Polybius aqud Boisson., anecd. gr. III, p. 229—237 disserit de soloecismo; quae insunt definitiones exhibebo: „*βαρβαρισμός ἐστιν ἁμάρτημα ἐν μιᾷ λέξει παρὰ τὴν παρ' Ἕλλησι συνήθειαν. γίνεται δὲ κατὰ τρόπους τέσσαρας, ἔνδειαν, πλεονασμὸν, μετάθεσιν, ἐναλλαγήν . . . σολοικισμός ἐστιν ἡμαρτημένη λέξεων σύνθεσις παρὰ τὴν παρ' ἑκάστοις συνήθειαν*". Duo genera soloecismi esse Polybius dicit, cum ipse exempla praebeat ad *ἔνδειαν*, *πλεονασμόν* et *ἐναλλαγήν*. Hunc tractatum iterum typis mandauit Nauck in lexico Vindob., p. 283—293.

---

[1]) Conferri hic possunt: a) Tzetzes, Chiliad. XI, 369:

„*Αἱ ἀρεταὶ δε τέσσαρές εἰσι διηγημάτων.
Σαφες μεγαλοπρεπεια σύντομον πιθανόν τε,
Ἑλληνισμὸν οἱ νέοι δὲ φάσκουσι τῶν ῥητόρων
Οὐχι μεγαλοπρέπειαν κατὰ τοὺς πρὶν ῥητόρων κ. τ. λ.*"

b) Thomas Magister, ed Ritschl p. 161: „*Ἑλληνίζω οὐ μόνον ἐγώ, ἀλλὰ καὶ ἄλλον Ἑλληνικῶς ἔχειν ποιῶ, ὡς ὁ αὐτὸς ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ* (i. e. Libanius *ἐν τῷ Ἀντιοχικῷ*)· *ἑλληνίζων διετέλεσε τὴν βάρβαρον*".

[2]) Sic; non tautologia. — Cf. Donat. supra p. 41.

[3]) Quod Thurot addit in nota ‚soloëcismus' pronuntiandum esse, de illis scilicet temporibus intellegendum est, quibus scripserunt Alexander et Ebrardus; ex etymologia illa, qua gaudebant (ab *σώου λόγου αἰκισμῷ* ducta), huius generis grammaticos pronuntiasse credo „solo-âecismus". *Σόλοικος* uero *κατὰ συναλοιφήν* pronuntiari expresse dicit Herodianus, ed. Lentz I, p. 151, 9.

Mazaris apud Hasium ad Timarion., in uol. IX, notitiarum manu script., p. 238: Mazaris de Asani Caesaris insano declamandi et scribendi studio loquentem facit Holobolum hisce: „Μεθ' ἡμέραν πρός τε τὸν Μίνω καὶ Αἰακὸν καὶ Ῥαδάμανθυν, μεθ' ἡδονῆς διεξέρχομαι, ὅσους περ τὸν ἅπαντα τῆς σαυτοῦ ζωῆς χρόνον ἀκοπωτί τε καὶ ἀσολοικιστί, ἔτι γε μὴν ἀβαρβαριστί, νοός τε καὶ σαφηνείας ἄνευ ἐννέα πρὸς τοῖς ἑξήκοντα λόγους γέγραφας".

Theodorus Gaza in grammat. libro IV (ed. Florent. 1526): „Βαρβαρισμός. καὶ τετραχῶς μὲν ὁ βαρβαρισμὸς τοσαχῶς δὲ καὶ ὁ σολοικισμός... Σολοικισμός. ὁμοίως δέ τοι καὶ ὁ σολοικισμός. ἢ γὰρ ἐνδείᾳ· ἔρχονται πεδίοιο. ἐνδεῖ γὰρ ἡ ‚διά'. Ἢ πλεονασμῷ· ἐξ οὐρανόθεν. πλεονάζει γὰρ ἡ ‚ἐξ'. Ἢ ἐναλλαγῇ· τόξον εὖ εἰδώς, ἀντὶ τοῦ ‚τοξεύειν'. νέον δ' ἐσαγείρατο θυμόν, ἀντὶ τοῦ ‚νεωστί'. ἀκτίνεσσιν ἐοικότες, ἀντὶ τοῦ ‚ἐοίκασιν' ... τοιοῦτο δὲ καὶ παρὰ τὰ παρεπόμενα τοῖς τοῦ λόγου μέρεσιν. οἷον εἶδος, γένος, ἀριθμόν, σχῆμα, πτῶσιν, ἐπιῤῥήματα ἢ προθέσεις ἢ τάξιν συνδέσμων καὶ συνδέσμων αὐτῶν ἐνάλλαξιν. κ. τ. λ."

Phauorinus (ed. Basil.) p. 434 et 1667 eadem habet quae Zonaras supra p. 51.

Ex scholiis in scriptores latinos et graecos conscriptis cum supra ea tantum exhiberem, quae redeunt ad certos auctores (Porphyrion p. 41, Melampus et Choeroboscus p. 48, Eustathius p. 52[1])), iam hic addenda sunt quae exstant ab anonymis scholiastis congesta uel uetustioribus uel recentioribus. Attamen sufficiet elegisse haec:

In scholiis ad Odysseam quae ed. Buttmann (Berol. 1821) haec[2]) inueni: ad λ, 76: „Ἀνδρὸς δυστήνοιο καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι]. Τὸ σχῆμά ἐστι σολοικοφανές. οὐκ ἔστι γὰρ κατειπεῖν τῶν οὕτω σχηματιζομένων σολοικισμὸν ἢ βαρβαρισμόν. κέκριται

[1]) Cf. supra p. 20 sq. (Chrysippus, Zoilus).

[2]) Artissime conciunt haec cum iis, quae supra p. 51 sq. habuerunt Gregorius Corinth. et Eustathius.

δὲ σολοικοφανῆ ταῦτα καλεῖν σχήματα. φασὶ γὰρ οἱ παλαιοὶ πᾶν τοιοῦτο λάλημα ἤγουν σχῆμα ἁμάρτημά ἐστιν ἑκούσιον διὰ τέχνην. σολοικισμὸς δὲ ἁμάρτημα ἀκούσιον ἐξ ἀμαθίας λαληθὲν παρὰ ὄνομα ἢ ῥῆμα ἢ ἄλλο τι ὧν λέγουσιν οἱ τεχνικοί". — Ad λ, 90 (= ed. Dind. p. 184): „*Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο*]. *Σολοικοφανὲς καὶ τοῦτο, . . ὡς παρακατιὼν ὁ λόγος δηλώσει*".

In cod. Paris. 2785 exstat hoc scholion in Aeschyli Septem, u. 682 (ed. Dind. p. 377, 3): „*πέρας*[1])] *τέλος. εὑρεῖν, σολοικοφανές*".

In scholiis Euripideis[2]) haec leguntur: ad Hippolyt. u. 23 (ed. Dind. I, 77, 4): „*πάλαι προκόψασα*] *ἀρχαϊσμός ἐστι τοῦτο, οὐ σολοικισμός*". In alio cod.: „*τὰ πολλὰ δὲ πάλαι προκόψας' οὐ πόνου*] *τοῦτο ἐσολοίκισεν. οὕτως γὰρ ἔδει εἰπεῖν· τὰ πολλὰ δὲ πάλαι προκόψασα οὐ πόνου πολλοῦ χρείαν ἔχω. συνεχῶς δὲ τούτῳ τῷ σχήματι χρῆται ὁ Εὐριπίδης*". — Ad Phoeniss. u. 1288 (ed. Dind. III, 332, 21): „*δίδυμα τέκεα*] *διπλᾶ. τοῦτό τινες σολοικισμὸν ἡγήσαντο*". — Ad Medeam u. 57 (ed. Dind. IV, 11, 12): „*ὥσθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε*] *τὸ σχῆμα σολοικοφανές, διὰ τὴν ἐναλλαγὴν τῆς πτώσεως· μολούσῃ γὰρ ἀντὶ τοῦ μολοῦσα*".

Ad Aristophanis ranar. uersum 1263 scholiasta in cod. Florentino Laurentiano 2779 adnotat: „*ἐσολοίκισται*", nam pro ‚*τῶν ψήφων*' in illo uersu olim legebatur ‚*τὼ ψήφω*'.

Ad Ciceronis diuinat. § 1 haec inueniuntur apud Pseudo-Asconium, (ed. Orell. V, 2, p. 99): „Si quis uestrum, iudices] Hoc toto capite soloecismi species continetur, nisi addas ‚et' aut ‚idem', ut sit: *et nunc subito mutata uoluntate ad accusandum descenderim:* quare multi non *descenderim* legunt sed *descendere*". — Ibid. p. 138 ad § 25 actionis I in Verrem: „Qui quamobrem arcesserentur (cum intellegerent, non uenisse)] . .

---

[1]) Sic legebatur pro ‚*γῆρας*'.

[2]) In scholiis Sophocleis, quae ediderunt Elmsley et Dindorf, de soloecismo nihil inueni.

Sane et hic et in primo capite Verrinarum[1]) animaduertitur inconsequens locutio similisque soloecismi, si quidem *non uenisse* legeris: nam si *non uenissent* legeris, error non erit".

In scholiis ad Lucanum (ed. Usener, p. 306) codex Bernens. breuiter exhibet ad libri IX u. 580: „Quodcumque moueris] *σολοικισμός*".

Hic inicienda est epistola Pseudo-Anacharsidis [uid. p. 15 huius opusc.], quam Alexandrinorum[2]) more rhetorem aliquem conscripsisse opinor. Exstant uero hae litterae in Epistolographis Graecis, ed. Hercher p. 102: *Ἀναχάρσιδος ἐπιστολαί. | α΄. Ἀθηναίοις. | „Γελᾶτε ἐμὴν φωνήν, διότι οὐ τρανῶς Ἑλληνικὰ γράμματα λέγει. Ἀνάχαρσις παρ᾽ Ἀθηναίοις σολοικίζει, Ἀθηναῖοι δὲ παρὰ Σκύθαις. (Σπαρτιᾶται οὐ τρανοὶ ἀττικίζειν, ἀλλ᾽ ἔργοις λαμπροὶ καὶ εὐδόκιμοι).. βασιλεῖς Περσῶν κἀκείνων φίλοι μέγα φρονοῦντες ὅταν βούλωνται πρὸς Ἑλλήνων πρεσβευτὰς Ἑλληνικῇ φωνῇ φθέγγεσθαι, ἀναγκάζονται σολοικίζειν (ὧν ὑμεῖς οὔτε βουλὰς οὔτε ἔργα καταμέμφεσθε) . . . (διὰ τί βαρβαρικὰ τιμᾶτε ὑφάσματα, φωνὴν δὲ βάρβαρον οὐ δοκιμάζετε; αὐλούντων καὶ ᾀδόντων φωνὰς ζητεῖτε ἐμμελεῖς καὶ ποιητῶν ἔμμετρα ποιούντων ἐπιλαμβάνεσθε, εἰ μὴ ἀναπληροῦσι γράμμασιν Ἑλληνικοῖς τὰ μέτρα. λεγόντων δὲ θεωρεῖτε αὐτὰ τὰ λεγόμενα. τὸ γὰρ τέλος τούτων εἰς ὄνησιν.), καὶ βαρβάροις πειθόμενοι οὐκ ἐπιτρέψετε γυναιξὶ καὶ τέκνοις καὶ*[3]) *προσέχουσιν ὑμῖν, ἐὰν σολοικίζητε; κρεῖσσον γὰρ σολοικίζουσι πειθαρχοῦντας σώζεσθαι ἢ τρανῶς ἀττικίζουσιν ἐπακολουθοῦντας μεγάλα βλάπτεσθαι: (ἀπαιδεύτων ταῦτά ἐστι καὶ ἀπειροκάλων*[4]*), ἄνδρες Ἀθηναῖοι· σώφρων γὰρ οὐδεὶς ἂν διανοηθείη ταῦτα)*".

Perlustremus denique anonymos illos tractatus graece compositos, qui separatim ab aliis grammaticis disciplinis de

[1]) Intellegitur quem modo legimus locus apud Cic. diuin. 1.

[2]) Vid. Cicero, Tusc. V, 32.

[3]) Sic scripsi cum Herchero; Hertlein (apud Fleckeis., Jahrb. 109 (1874), p. 219) pro ‚*καὶ προσέχουσιν*' scribi iubet ‚*μὴ προσεχουσιν*'. Signum interrogationis post ‚*σολοικίζητε*' omisit Hercherus.

[4]) Cf. Plutarchi locum (polit. praec. p. 817 A) supra p. 13.

illa quaestione sola agunt, quid sit soloecismus, quid barbarismus. Videntur uero librarii (Byzantini) dispersisse huiusmodi dissertatiunculas per codices eo plerumque consilio, ut chartarum uacantia forte spatiola complerent scripturis.

Valckenarius in appendice ad Ammonium adiecta primus edidit nonnullas commentatiunculas hunc in modum concoctas atque I⁰ loco posuit (p. 191—193 init.) tractatus duos, alterum de barbarismo, alterum de soloecismo, qui ad eundem auctorem redeunt. Ex quibus quae scitu digna sunt transscribam; p. 191: „*βαρβαρισμός ἐστι λέξις ἤτοι περὶ τὰ στοιχεῖα ἢ τὰς προσῳδίας ἡμαρτημένη. διαφέρει δὲ τοῦ σολοικισμοῦ, ἐπεὶ ὁ μὲν βαρβαρισμὸς ἐν λέξει γίνεται, ὁ δὲ σολοικισμὸς ἐν λόγῳ.* Barbarismi genera sex ponuntur: *περὶ πλεονασμὸν· στοιχείου, περὶ ἔνδειαν, περὶ ἐναλλαγήν, περὶ τόνον, περὶ χρόνον, περὶ πνεῦμα. λέγομεν δὲ βαρβαρίζειν καὶ τοὺς ἀλλοφύλῳ λέξει χρωμένους. ὡς εἴ τις τὸ μὲν ὑπαυχένιον κερβικάριον λέγοι, τὸ δὲ χειρόμακτρον μάππαν*[1]. *σολοικισμός ἐστι λόγος περὶ τὴν σύστασιν τῶν λέξεων ἡμαρτημένος ⟨οἱονεὶ τοῦ σῴου λόγου αἰκισμός*[2]⟩. *διαφέρει δὲ τοῦ σχήματος, ἐπεὶ τὸ μὲν σχῆμα ἔχει τινὰ αἰτίαν εὔλογον καθισταμένην εἰς εὐπρέπειαν, ὁ δὲ σολοικισμὸς οὐκ ἔχει. γίνεται δὲ ὁ σολοικισμὸς ἐν τῷ λόγῳ περὶ πλεονασμὸν λέξεως, περὶ ἔνδειαν, περὶ ἐναλλαγήν, περὶ εἶδος, περὶ γένος, περὶ ἄρθρον, περὶ ἀριθμόν, περὶ πτῶσιν, περὶ πρόσωπον, περὶ χρόνον, περὶ διάθεσιν, περὶ ἔγκλισιν· λέγεται δὲ σολοικισμὸς ἐπεὶ σόλοικον καὶ βάρβαρον τὴν προφορὰν ἔχει. σολοίκους δὲ ἔλεγον οἱ παλαιοὶ τοὺς βαρβάρους*". Sequuntur iam Anacreontis et Hipponactis supra p. 11 descripti uersus. Idem tractatus inuenitur in cod. Chisiano Q, IV, 11; Studemund u. cl. descripsit illum et mecum communicauit.

II. Quos Valckenarius p. 193—204 exhibet duos tractatus inscriptos *περὶ βαρβαρισμοῦ κατὰ πλάτος, περὶ σολοικίας κατὰ*

---

[1]) *Χειρόμακτρον* scribendum est pro *χειρόμακτον*. Cf. Quintil. I, 5, 57.

[2]) Verba *οἱονεὶ — αἰκισμός* desunt apud Valcken.; ex cod. Chisiano Q, IV, 11 ea recepi.

πλάτος partim repetiuit Boissonadius, anecd. gr. III, p. 257 —260 init.; quae de soloecismo apud Valcken. p. 197 fin. — 204 init. exstant non inueniuntur apud Boissonadium. Herodiani hoc opus non esse monui p. 40. Insunt hae definitiones apud Valckenarium p. 194 sqq.: „*Ἑλληνισμὸς μὲν οὖν ἐστι λέξις ὑγιὴς καὶ ἀδιάστροφος λόγου μερῶν συμπλοκὴ μετάλληλος. Βαρβαρισμὸς δέ ἐστι λέξις ἡμαρτημένη παρὰ τὴν τῶν ἑλληνιζόντων συνήθειαν. διαφέρει δὲ βαρβαρισμὸς σολοικίας, ὅτι ἡ μὲν σολοικία τάξιν βλάπτει τοῦ λόγου, ὁ δὲ βαρβαρισμὸς τὰ εἴδη τῶν λέξεων. γίνεται δὲ βαρβαρισμὸς κατὰ τρόπους ἐννέα (πρόσθεσις, ἀφαίρεσις, ἐναλλαγή, μετάθεσις, συναλοιφή, διαίρεσις, τόνος, χρόνος, πνεῦμα)*“. Exempla a Menandro, Hesiodo, Callimacho, Aeschylo depromuntur. — In scriptiuncula *περὶ σολοικίας κατὰ πλάτος* legimus: „*σολοικία ἐστὶν ἀκατάλληλος πλοκὴ τῶν τοῦ λόγου μερῶν παρὰ τὴν τῶν ἑλληνιζόντων συνήθειαν. σολοικίζουσι δὲ κατὰ τρόπους ιε* (NB!). *περὶ γένη, περὶ ἀριθμούς, περὶ τὰς πτώσεις, περὶ τὰ εἴδη, περὶ τὰ γενικὰ καὶ εἰδικά, περὶ τὰ πάθη, περὶ τὰ ἐνεργήματα, περὶ τοὺς χρόνους, περὶ τὰ πρόσωπα, περὶ τὰς ἐγκλίσεις τῶν ῥημάτων, περὶ τὰ ἄρθρα, περὶ τὰς ἀντωνυμίας, περὶ τὰς προθέσεις, περὶ τὰ ἐπιῤῥήματα, περὶ τοὺς συνδέσμους*“. Exempla pleraque sumpta sunt ex Homero, nonnulla ex Hesiodo necnon ex Euripide. Citatur Zenodotus in Homeri uersus cuiusdam crisi. Pag. 203 discernuntur ut solent grammatici barbarismus et soloecismus; sub finem tractatus exstat uersus ille Hipponacteus „*καὶ τοὺς σολοίκους κ. τ. λ.*“ Recentiore aetate, etsi uetustiores tantum scriptores citantur, conscriptum esse hunc tractatum apparet ex tota dictione et uocabulorum sollemnium usu.

III. Boissonade, anecd. gr. III p. 238—240 tractatum *περὶ βαρβαρισμοῦ καὶ σολοικισμοῦ* exhibet, qui in codice a praecedenti Polybii*) tractatu (*περὶ σολοικισμοῦ*) tenui interuallo distinctus fuit; Nauck in lex. Vindobonensi p. 290—293 et Cramer in Mus. philol. Cantabrigiensi II, p. 111—114 eundem denuo excusserunt. „*Βαρβαρισμός ἐστι ἁμάρτημα ἐν λέξει*

*) Vid. p. 53 huius opusculi.

γινόμενον παρὰ τὴν τῶν ἑλληνιζόντων συνήθειαν". Quinque species barbarismi enumerantur. „*Σολοικισμός ἐστι ἀκατάλληλος πλοκὴ τῶν τοῦ λόγου μερῶν . . . γίνεται δὲ περὶ τὰ μέρη τοῦ λόγου καὶ περὶ τὰ παρεπόμενα*". Exempla sumuntur ex Euripide, Pindaro, Callimacho, Hesiodo, Homero, Menandro et Thucydide. De tempore certi quidquam eruere uix licebit; artificiosa ueriloquia (*βαρυανδαιισμός*[1]) p. 238 et *θολισμός* ibid.) adducunt ut credamus recentissimae hunc tractatum esse originis, quamquam simplex quoque illa diuisio in *μέρη τοῦ λόγου* et *τὰ παρεπόμενα*[2]) occurrit in eo.

IV. Addenda sunt pauca de illo tractatu, qui a Boissonadio exhibetur p. 241—261 ‚*περὶ σολοικισμοῦ*' (cod. Paris. 2929 ‚*περὶ σολοικισμῶν καὶ βαρβαρισμῶν*'). Quem si accuratius inspexeris, multa inuenies inprimis in ipso exordio, quae nusquam a uiro uere docto ne dicam ab illustrissimo grammatico Herodiano proferri potuisse credas, languidas ambages, insulsitatem, loquacitatem. Definitiones hae sunt: p. 242 „*γίνεται οὖν σολοικισμὸς ἐν συμπλοκῇ λέξεων ἀλλήλαις ἀναρμόστων εὔκολος, ὅταν ἡ διαίρεσις πρὸς τὴν συμπλοκὴν τῶν λόγων μὴ ἄγαν ᾖ εὐάρμοστος*". Enumerantur nouem orationis partes, per quas quarumque per accidentia soloecismi fieri possint. Exempla petuntur ex Sophocle, Homero, Hesiodo. Quod occurrit p. 247 ‚*κλυτὸς Ἱπποδάμεια*' (pro *κλυτὴ Ἱπποδ.*) praeoccupauit Apollonius Dysc., de constr. p. 209, 3 (ed. Bekker); illud quod proxime sequitur exemplum ex Odyssea XV, 125 ‚*Δῶρόν τοι καὶ ἐγὼ τέκνον φίλε*' (pro *τέκνον φίλον*) exstat item in tractatu supra perlustrato apud Valcken. p. 198. Exemplum apud Boisson. p. 250 ‚*ἄλλοι μὲν γὰρ πάντες κ. τ. λ.*' uideas etiam apud Valcken. p. 200 init.; Boiss. p. 253 ‚*Θύρσον δέ τις κ. τ. λ.*' apud Valck. exstat in eadem pag. 200. Tria illa exempla apud Boiss. p. 256 et 257 ‚*κάππεσον ἐν Λήμνῳ*' et ‚*καθιζάνει μὲν ἔνιοι*' *εἰς τὰ σήσαμα*' et ‚*Γρωσὶν μὲν προμάχιζεν κ. τ. λ.*' exstant etiam in illo tractatu, quem sub III perlustrauimus

---

[1]) Cf. p. 7 extr. huius opusc.

[2]) Cf. potest Plutarchus, mor. p. 731 E (= ed. Did. p. 892).

(Boiss. p. 240). Quae apud Boiss. p. 257 med. („*τοῦ λόγου ἀρεταὶ μὲν ἕξ κ. τ. λ.*“) — 260, lin. 3 („*συνηλεῖφθαι*“) leguntur, consentiunt cum illis quae apud Valcken. p. 194—197 (lin. 3) exhibentur. Quae porro apud Boiss. p. 260, lin. 12—261 extr. sequuntur, simillima sunt illis quae apud Boiss. p. 238 et apud Valcken. p. 192 exstant. — Hunc tractatum compilatoris esse cuiuspiam recentissimaeque originis censeo. Diligentissime quidem depeculator ille quae apud uetustiores grammaticos inuenit, promiscue collegit et pro suo sapore praefatus est.

V. ‚*Περὶ τοῦ ἠθικοῦ σολοικισμοῦ*‘ inscribitur anonymus tractatus apud Boiss. II, p. 458; in quo de quauis gestuum et factorum insania agitur nec operae pretium est haec diligentius perlustrare. Demonstrat uero ea ipsa res, quod ut talia conscriberentur fieri potuit, quam diuulgata fuerit quaestio de soloecismo*).

VI. Iam finem imponam huic opusculo postquam anecdoton quoddam protulero ex bibliotheca Ambrosiana, quod Studemund illic descripsit et ut ederem permisit. Sic habet:

„*Περὶ σολοικισμοῦ.*

Σολοικισμός ἐστι λόγος περὶ τὴν σύνταξιν τῶν λέξεων ἡμαρτημένος. γίνεται κατὰ τρόπους ιά (NB!) · *περὶ πλεονασμὸν λέξεως, περὶ ἔνδειαν λέξεως, περὶ ἐναλλαγήν, περὶ εἶδος, περὶ γένος, περὶ ἀριθμόν, περὶ πτῶσιν, περὶ χρόνον, περὶ πρόσωπον, περὶ διάθεσιν, περὶ ἔγκλισιν. περὶ μὲν οὖν πλεονασμὸν λέξεως, ὡς τὸ ‚Σωκράτους ἤκουσα αὐτοῦ διαλεγομένου‘ · περιττὴ γὰρ ἡ ἀντωνυμία περὶ δὲ ἔνδειαν λέξεως, ὡς ὅταν τις εἴπῃ ‚Δημοσθένης εἰς τὴν οἰκίαν‘ · λείπει γὰρ τὸ ‚ἔγραφε‘. περὶ δὲ ἐναλλαγήν, ὡς τὸ ‚αὕτη διαλεγομένη‘ ἀντὶ τοῦ ‚διαλέγεται‘. περὶ δὲ εἶδος, ὡς τὸ ‚φρόνιμος πάντων‘ ἀντὶ τοῦ ‚φρονιμώτατος πάντων‘. περὶ δὲ γένος, ὡς τὸ ‚καλὸς γυνή‘ ἀντὶ τοῦ ‚καλὴ γυνή‘ · περὶ δὲ ἀριθμόν, εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνικοῦ προσώπου λέγει ‚οὗτοι εἴρηκεν‘. δέον εἰπεῖν ὅτι ‚οὗτος εἴρηκεν‘. περὶ δὲ*

*) Vid. quos in huius opusc. priore parte (p. 13 sq.) citaui locos: a) Zeno apud Zonaram; b) Lucianus in Nigrino; c) Lud. Cresollius, uacat. auct. p. 347 sq.

πτῶσιν ‚Ἀγάμεμνον βασιλεὺς τῶν Ἑλλήνων' ἀντὶ τοῦ ‚Ἀγαμέμνων.' περὶ δὲ χρόνον, ὡς τὸ ‚αὔριον λέγω' · δέον εἰπεῖν ‚αὔριον λέξω' · κέχρηται γὰρ ἐνεστῶτι ἀντὶ μέλλοντος. περὶ δὲ πρόσωπον, εἴ τις ἐπὶ τοῦ τρίτου λέγει προσώπου ‚σαυτὸν ἀγαπᾷ'. περὶ δὲ διάθεσιν, ὡς τὸ ‚ὑπό σου τύπτω' ἀντὶ τοῦ ‚τύπτομαι'. περὶ δὲ ἔγκλισιν, ὡς τὸ ‚εἴ σε διώκω' ἀντὶ τοῦ ‚διώκοιμι'." — Recentioris sane originis nostrum quoque anecdoton esse existimo; legitur uero in cod. Ambrosiano C 222 in folio LXXVIII extr. post Aristophanis nubes et eadem manu saeculi XIII scriptum est qua Aristophanis et textus et scholia.